MASTER NEGATIVE NO. 93-81280-22

AUTHOR:

COUTURAT, LOUIS

TITLE:

DE PLATONICIS MYTHIS

PLACE:

PARISIIS

DATE:

1896

Master Negative #

93-81280-22

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Couturat, Louis, 1868-1914.
De Platonicis mythis. Parisiis, Alcan, 1896.
118 + [1] p.

Thesis, Paris.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4.13.93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PLATONICIS MYTHIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

LUDOVICUS COUTURAT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

Φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος.
ARISTOT. 982 b 18.

PARISIIS
EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCVI

DE PLATONICIS MYTHIS

COLUMBARIIS
Ex typis Pauli Brodard

DE PLATONICIS MYTHIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

LUDOVICUS COUTURAT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

Φιλόμυθος ὁ φιλόσοφος.
Aristot. 982 b 18.

PARISIIS
EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCC XCVI

PATRI MEO

DOCTISSIMO VIRO

OPTIMOQUE MAGISTRO

VICTORI BROCHARD

HOC GRATI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

DISCIPULUS AUCTOR

PRÆFATIO

Platonicæ doctrinæ intellegentia e mythorum interpretatione pendet : quicumque enim mythicas Platonis sententias cum ceteris una simulque ad litteram acceperunt, tales tantasque contradictiones illi imputaverunt, ut eum philosophi titulo pæne indignum fecerint. Præterea plerique Platonis interpretes magnos sane et manifestos mythos agnoverunt, sed plurimos mythicos locos, in omnibus fere dialogis insertos, quin etiam dialogos totos mythicos omiserunt, aut eorum naturam parum perspexerunt, quia discrimine certo carebant, quo mythicas partes a reliqua disciplina distinguerent. Itaque sententias omnes, quæ aut prorsus fabulosæ et ridiculæ ipsis videbantur, aut opiniones ipsorum offendebant, pro mythicis habebant; quæcumque contra ipsis verisimilia videbantur, et præjudiciis ipsorum assentabantur, ad veram ac meram Platonis doctrinam pertinere putabant.

Hoc igitur discrimen ut ipsi consequamur, quæcumque in dialogis mythicam speciem habeant accurate investiganda esse rati sumus; quapropter communem mythorum habitum indagavimus, quo freti mythicos locos a ceteris, non arbitratu nostro, verum ratione certa, discernere ten-

tavimus. Deinde, quid inter mythicas sententias et genuina Platonis placita intersit inquisivimus, et, peculiari mythorum virtute scrutata eorumque allegorico sensu plane perspecto, non singulos quidem, sed potius universos uno eodemque consilio interpretati sumus, ita ut inter se et cum sincera auctoris disciplina omnino congruant.

Mythorum autem interpretatio, cum omnem de Platonica doctrina disceptationem antecedere debeat, unam tamen inquisitionem supponit, quæ doceat, quid de auctoritate et ordine dialogorum ex solis externis indiciis conjectare liceat : internis enim indiciis ad eamdem quæstionem solvendam nemo uti potest, priusquam veram auctoris sententiam in dialogis, de quibus omnes consentiant, dispexerit, eamque fuco mythico et allegoricis velis nudaverit. Non autem nostri operis est, testimonia percensere et perpendere, quæ dialogi cujusque auctoritatem confirment : grammatici multi quæstioni illi operam navaverunt, cujus fructus tantum colligemus. Quod ad ordinem temporum attinet, perpauca historicis documentis comperiuntur : cetera ex internis indiciis deducenda sunt, ideoque mythorum interpretationem sequi debent. Attamen, quo lector apertius cognoscat, quibus fundamentis opus nostrum innitatur, nunc dialogos, quorum auctoritate interpretatio nostra fulta est, in ordine, qui nobis maxime probabilis videtur, enumerabimus :

Euthydemum, Protagoram, Gorgiam, Menonem, Phædonem; Cratylum, Theætetum, Sophistam, Politicum; Phædrum, Convivium, Rempublicam; Philebum, Timæum, Critiam, Leges.

DE PLATONICIS MYTHIS

INTRODUCTIO

Priusquam in Platonis dialogis mythos investigemus, eosque interpretemur, operæ pretium erit inquirere, quis sit, secundum Platonem ipsum, verbi μῦθος sensus.

§ I

Μῦθος significat fabulas, quæ pueris vulgo narrantur :

Πρῶτον τοῖς παιδίοις μύθους λέγομεν... πρότερον δὲ μύθοις πρὸς τὰ παιδία ἢ γυμνασίοις χρώμεθα. [*Resp.* 377 A.

aut tales fabulas, quales pueros delectant :

Ἀλλὰ δὴ τῷ μύθῳ μου πάνυ πρόσεχε τὸν νοῦν, καθάπερ οἱ παῖδες. [*Pol.* 268 E.

Μῦθόν τινα... παισὶν ὡς οὖσιν ἡμῖν. [*Soph.* 242 C.

A quibus vero fabulæ istæ infantibus narrentur, Plato declarat :

Τοὺς [μύθους]... τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις. [*Resp.* 377 C; cf. 381 E.

... τοῖς μύθοις, οὓς ἐκ νέων παίδων, ἔτι ἐν γάλαξι τρεφόμενοι, τροφῶν τε ἤκουον καὶ μητέρων. [*Leg.* 887 D.

Non a matribus et nutricibus tantum, sed ab omnibus senioribus fabulæ narrantur :

Τοιαῦτα [λεκτέα] μᾶλλον πρὸς τὰ παιδία εὐθὺς καὶ γέρουσι καὶ γραυσὶ καὶ πρεσβυτέροις γιγνομένοις. [*Resp*. 378 D.

Itaque aniculis sæpe mythi tribuuntur :

Ὥσπερ ταῖς γραυσὶ ταῖς τοὺς μύθους λεγούσαις. [*Resp*. 350 E.

§ II

Μῦθος significat Æsopi vel Æsopicas fabulas, quas Socrates in carcere versibus condebat :

Μύθους τοὺς Αἰσώπου. [*Phæd*. 61 B.

Ibidem, quamvis Socrates se fabulis inveniendis parum aptum profiteatur :

Αὐτὸς οὐκ ἦ μυθολογικός, [*Phæd*. 61 B.

paulo antea fabellam Æsopicam adumbravit, aut saltem talis fabulæ argumentum proposuit :

Καί μοι δοκεῖ, εἰ ἐνενόησεν αὐτὰ Αἴσωπος, μῦθον ἂν συνθεῖναι.... [*Phæd*. 60 C.

Quæ inter se repugnare viderentur, nisi illo loco Socratem ipsum, qui revera fabularum minime studiosus erat, hoc autem loco Platonem ipsum, sub Socratis persona, loquentem intellegendum esset, qui contra mythis fingendis ita pronus fuisse videtur, ut mutuam voluptatis et doloris necessitudinem statim sub fabulæ specie mente conceperit et expresserit.

§ III

Sæpe etiam μῦθος significat poeticas fabulas, quod ex eodem loco colligere licet; Socrates enim dixit :

... ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ' οὐ λόγους. [*Phæd*. 61 B.

Itaque fabulis puerilibus aut Æsopicis poetarum fabulæ omnino similes sunt, nam Plato has « longos mythos », illas vero « breves mythos » vocat, ita ut magnitudine tantum differre videantur [*Resp*. 377 C] :

τοὺς μείζους [μύθους]... οὓς Ἡσίοδός τε καὶ Ὅμηρος ἡμῖν ἐλεγέτην καὶ οἱ ἄλλοι ποιηταί. [*Resp*. 377 D.

Utraque vero mythorum species ad unam ideam a Platone ita refertur, ut minores in majoribus dijudicare liceat, quippe qui eamdem virtutem habeant :

Ἐν τοῖς μείζοσιν μύθοις ὀψόμεθα καὶ τοὺς ἐλάττους· δεῖ γὰρ δὴ τὸν αὐτὸν τύπον εἶναι καὶ ταὐτὸν δύνασθαι τούς τε μείζους καὶ τοὺς ἐλάττους. [*Resp*. 377 C.

Itaque poesis omnis fabulis constare videtur :

τῆς ποιήσεώς τε καὶ μυθολογίας... [*Resp*. 394 B.

Quapropter carmina cantusque Plato sæpe « mythos » vocat :

Ἄδειν τε καὶ μυθολογεῖν. [*Resp*. 392 B.
τοῖς μύθοις... οἷον ἐν ἐπῳδαῖς. [*Leg*. 887 D.
Ἐπῳδῶν γε μὴν προσδεῖσθαί μοι δοκεῖ μύθων ἔτι τινῶν. [*Leg*. 903 B.

Universa igitur poesis in mythis versari videtur. Neque ea tantum, nam soluta quoque oratione mythi narrantur :

Μήτ' ἐν μέτρῳ μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα. [*Resp*. 380 C.

Semper tamen mythus poeticum quemdam colorem habet, epico carmini proximum, ita ut poeta et mythologus modo confundantur, modo distinguantur, sed utique assimulentur :

Ὅσα ὑπὸ μυθολόγων ἢ ποιητῶν λέγεται. [*Resp*. 392 D.
Ποιητῇ χρώμεθα καὶ μυθολόγῳ. [*Resp*. 398 A.
Μηδεὶς οὖν ὑπὸ ποιητῶν μηδ' ἄλλως ὑπό τινων μυθολόγων.... ἀναπειθέσθω. [*Leg*. 941 B.

Mythus denique tertium quoddam genus, inter lyricam poesim et pedestrem orationem medium, efficit :

Ἔν τε ᾠδαῖς καὶ μύθοις καὶ λόγοις [1]. [*Leg*. 664 A.

1. Cf. *Leg*. 840 C.

§ IV

Μῦθος etiam significat, quæ de origine gentium aut de veteribus tradita sunt : famam enim de prisca Doriensium fortuna Plato mythum vocat :

μυθολογεῖτε. [*Leg*. 682 E.

De fabulosa civitatum origine, quæ Argos, Messena et Lacedæmon vocabantur, sic loquitur :

Ὥς γε λέγεται τὸ τοῦ μύθου. [*Leg*. 683 D.

De Sauromatidibus feminis, quæ bellum exercere ferebantur, hæc Socrates dicit :

Ἀκούων μὲν γὰρ δὴ μύθους παλαιοὺς πέπεισμαι. [*Leg*. 804 E.

ita ut mythis omnis antiquorum temporum historia constare videatur :

Μυθολογία γὰρ ἀναζήτησίς τε τῶν παλαιῶν.... [*Crit*. 110 A.

quippe quæ plerumque meris fabulis versetur. Fabula quoque de Gygæ annulo mythus dicitur :

μυθολογοῦσι. [*Resp*. 359 D.

Mythica igitur sunt cuncta quæ de veteribus traduntur, quia omnia de pristinis illis temporibus obscura et incerta sunt :

Ἐν... ταῖς μυθολογίαις, διὰ τὸ μὴ εἰδέναι, ὅπῃ τἀληθὲς ἔχει περὶ τῶν παλαιῶν.... [*Resp*. 382 D.

§ V

Alias verbum μῦθος significat veteres superstitiones aut famas, quæ vulgo traduntur et creduntur : quarum aliæ pueriles omnino videntur :

Μηδ᾽ αὖ... αἱ μητέρες τὰ παιδία ἐκδειματούντων, λέγουσαι τοὺς μύθους κακῶς, ὡς ἄρα θεοί τινες περιέρχονται νύκτωρ. [*Resp*. 381 E.

Aliæ poeticum colorem referunt :

Παλαιὸς μῦθος.... ὑπό τε αὐτῶν ἡμῶν ἀεὶ λεγόμενός ἐστι, καὶ τοῖς ἄλλοις πᾶσι ξυνδεδογμένος, ὅτι ποιητής, ὁπόταν ἐν τῷ τρίποδι τῆς Μούσης καθίζηται, τότε οὐκ ἔμφρων ἐστίν.... [*Leg*. 719 C.

Aliæ demum religioni proximæ sunt, sicut e locis novissime citatis jam apparet : postquam enim religionem in vetere proverbio traditam Plato memoravit :

Ἐπὶ πολλοῖς γὰρ δὴ λεγόμενον εὖ, τὸ μὴ κινεῖν τὰ ἀκίνητα.... [*Leg*. 913 B.

statim hæc addit :

Πείθεσθαι δὲ χρὴ καὶ τοῖς περὶ ταῦτα λεγομένοις μύθοις, ὡς εἰς παίδων γενεὰν οὐ ξύμφορα τὰ τοιαῦτα. [*Leg*. 913 C.

Quæ superstitio valde ridicula et vere puerilis est. Simili modo mythum vocat Plato opinionem illam antiquam, quicumque *nolens* hominem interfecerit, eum ab irata occisi anima terreri et perturbari :

Παλαιὸν δέ τινα τῶν ἀρχαίων μύθων λεγόμενον μὴ ἀτιμαζέτω. [*Leg*. 865 D.

Aliam religiosam famam Plato his verbis refert :

Ὁ γὰρ δὴ μῦθος ἢ λόγος, ἢ ὅ τι χρὴ προσαγορεύειν αὐτόν, ἐκ παλαιῶν ἱερέων εἴρηται σαφῶς.... [*Leg*. 872 D.

Hæc superstitio sacerdotibus imputatur; cujus summa est, qui parentem necaverit, eum ab ipsius pueris vicissim eamdem vim passurum esse. Omnes autem istæ famæ antiquæ dicuntur, quod sane verisimillimum est.

§ VI

Superstitionibus illis proximæ sunt fabulæ de inferis vulgo narratæ, quas quoque Plato mythos vocat :

Οἵ τε γὰρ λεγόμενοι μῦθοι περὶ τῶν ἐν Ἅιδου.... [*Resp*. 330 D[1].

1. Cf. *Remp*. 386 B.

Iidem mythi in pluribus locis memorantur, ubi, quamvis mythi nomen deficiat, sensus certe adest, quem verba λεγόμενοι, παλαιοί, et cetera ejus modi satis denuntiant :

Οἱ δὲ ἐν Ἅιδου... λεγόμενοι πόνοι. [*Leg*. 881 A.

Item paulo supra :

... μήτε τῶν ἄνω δείσας θεῶν μῆνιν, μήτε τῶν ὑπὸ γῆς τιμωριῶν λεγομένων, ἀλλὰ... καταφρονῶν τῶν παλαιῶν καὶ ὑπὸ πάντων εἰρημένων.... [*Leg*. 880 E.

quæ omnes locutiones idem atque μῦθος significant. Mythos igitur vocat Plato quæcumque de Plutone et de infernis sedibus pœnisque vulgo narrantur, sicut e *Reipublicæ* tertio libro mox apertius comperiemus.

§ VII

Μῦθος significat quæcumque de diis etiam cælestibus, præcipue a poetis, narrantur : tales sunt in primis fabulæ quas de deorum ortu, connubiis, bellis et sceleribus Hesiodus, Homerus et ceteri finxerunt aut retulerunt, quasque Plato in secundo *Reipublicæ* libro accurate percenset [377 E — 383 C] :

... ὡς θεοὶ θεοῖς πολεμοῦσί τε καὶ ἐπιβουλεύουσι καὶ μάχονται.... [*Resp*. 378 B.

Πολλοῦ δεῖ γιγαντομαχίας τε μυθολογητέον... καὶ ἄλλας ἔχθρας πολλὰς καὶ παντοδαπὰς θεῶν τε καὶ ἡρώων πρὸς συγγενεῖς τε καὶ οἰκείους αὐτῶν. [378 C.

Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος καὶ Ἡφαίστου ῥίψεις ὑπὸ πατρός..., καὶ θεομαχίας ὅσας Ὅμηρος πεποίηκεν.... [378 D.

Alias quoque Plato mythos de diis memorat, quos ut falsos et ab hominibus fictos vituperat :

Πάντες δὲ δὴ Κρητῶν τὸν περὶ τὸν Γανυμήδη μῦθον κατηγοροῦμεν... τοῦτον τὸν μῦθον προστεθεικέναι κατὰ τοῦ Διός.... [*Leg*. 636 C, D.

Fabulam de Orithyia a Borea rapta sic appellat :

τοῦτο τὸ μυθολόγημα. [*Phædr*. 229 C.

Item de monstris divinis, de Chimæra scilicet, de Scylla et de Cerbero ita loquitur :

Οἷαι μυθολογοῦνται παλαιαὶ γενέσθαι φύσεις. [*Resp*. 588 C.

§ VIII

Eadem ratione μύθους vocat Plato fabulas de heroibus traditas, quæ tum divinis fabulis, tum priscis de civitatum origine fabulis affines natura sunt : nam heroes deorum filii dicuntur, et civitates condidisse plerumque feruntur. Tales sunt Cadmi fabula :

Τὸ μὲν τοῦ Σιδωνίου μυθολόγημα....
Τὸ σπαρέντων ποτὲ ὀδόντων ὁπλίτας ἐξ αὐτῶν φῦναι. [*Leg*. 663 E.

Deucalionis et Pyrrhæ et diluvii fabula :

... καὶ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν αὖ περὶ Δευκαλίωνος καὶ Πύρρας ὡς διεγένοντο μυθολογεῖν, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γενεαλογεῖν. [*Tim*. 22 A.

Ejus modi vero fabulas pluribus his verbis paulo infra Plato designat :

... δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν....
μάθημα χρόνῳ πολιὸν.... [*Tim*. 22 B.

Mox autem de Phaethontis fabula sic loquitur :

Τοῦτο μύθου μὲν σχῆμα ἔχον λέγεται.... [*Tim*. 22 C.

Omnes denique fabulas de diis, de inferis et de heroibus (§§ VI, VII, VIII) Plato uno verbo colligit, utpote ejusdem generis species, qui mythus est :

Περὶ γὰρ θεῶν ὡς δεῖ λέγεσθαι εἴρηται, καὶ περὶ δαιμόνων τε καὶ ἡρώων καὶ τῶν ἐν Ἅιδου. [*Resp*. 392 A.

§ IX

Sæpe autem Plato, loco verbi μῦθος, verbo λόγος ad idem

significandum utitur, quod in nonnullis locis manifestum est. Nam, exempli gratia, scripsit :

τοὺς τοῦ Αἰσώπου λόγους, [*Phæd.* 60 D.

cum alias μύθους τοὺς Αἰσώπου dixerit [61 B]. Æsopicarum vero fabularum proprium nomen est μῦθος, quod notissima illa clausula satis demonstrat : « Ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι.... »

In *Phædro* quoque, postquam fabulam de Borea μυθολόγημα vocavit, de eadem Socrates dicit :

Λέγεται γὰρ αὖ καὶ οὗτος ὁ λόγος.... [*Phædr.* 229 D.

ubi λόγος idem profecto valet atque μῦθος.

In *Republica*, postquam poetas μύθους ψευδεῖς composuisse Socrates dixit, et præcipue quæ Hesiodus de Urano et Saturno narrat reprehendit, respondet Adimantus :

Καὶ γάρ... οὗτοί γε οἱ λόγοι χαλεποί. [*Resp.* 378 A.

ubi λόγοι pro μῦθοι certe usurpatur.

Alias, cum fabulas de diis traditas memorans dixerit :

παυστέον τοὺς τοιούτους μύθους, [*Resp.* 391 E.

statim hæc interrogat :

Τί οὖν.... ἔτι λοιπὸν εἶδος λόγων πέρι; [*Resp.* 392 A.

unde apparet, easdem fabulas μῦθοι et λόγοι vicissim nuncupari. In eodem loco legimus :

Ποιηταὶ καὶ λογοποιοί.... [*Resp.* 392 A.

τοὺς ποιητὰς... ἀναγκαστέον λογοποιεῖν. [*Resp.* 378 D.

cum antea de poetis iisdem Plato dixerit :

Ἐπιστατητέον τοῖς μυθοποιοῖς.... [*Resp.* 377 B.

unde concludere licet, λογοποιοί et μυθοποιοί eumdem omnino sensum habere : quod confirmat etiam locus jam citatus :

τὸν... μῦθον... ὡς λογοποιησάντων τούτων. [*Leg.* 636 C.

In *Timæo* mythos Plato his verbis designat :

περὶ τῶν ἀρχαίων... λόγους. [*Tim.* 22 A.

In proximo loco jam citato [22 B] verba μυθολογεῖν et γενεα-

λογεῖν ita junguntur, ut synonyma esse videantur; alias igitur cum legemus :

ἔκ τε τῶν λόγων καὶ τῶν γενεαλογησάντων ποιητῶν [*Resp.* 365 E.

nihil aliud quam poetarum mythos intellegemus.

Denique, postquam fabulam quamdam religiosam retulit :

ἐν τῷ μύθῳ, ὃς περὶ τὸ ἐν Ἀρκαδίᾳ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Λυκαίου ἱερὸν λέγεται.... [*Resp.* 365 D.

continuo, de eadem loquens, quærit :

ἢ οὐκ ἀκήκοας τὸν λόγον; [365 E.

unde satis patet, verbum λόγος pro μῦθος hic poni.

Præterea, cum verborum amborum radices in his compositis vocibus coalescant : μυθόλογος, μυθολογία, μυθολογεῖν, μυθολόγημα, et ceteris, nihil mirum, utrumque pro altero sæpe usurpari.

§ X

Nihilominus verba μῦθος et λόγος auctor opponere solet, utpote falsum et veritatem [cf. *Phæd.* 61 B, *loc. jam cit.* § III] :

μὴ πλασθέντα μῦθον, ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον. [*Tim.* 26 E.

Protagoras juvenes, qui ipsum audiunt, sic rogat :

Ἀλλὰ πότερον ὑμῖν, ὡς πρεσβύτερος νεωτέροις, μῦθον λέγων ἐπιδείξω, ἢ λόγῳ διεξέλθω; [*Prot.* 320 C.

quibus verbis fabula ficta seriæ orationi opponitur [cf. 324 D, 328 C]. Hic vero animadvertendum est, senem adulescentibus fabulas narraturum esse : mythos enim a senibus narrandos, a pueris autem audiendos esse Aristoteles quoque nos docet :

Ἁρμόττει δὲ γνωμολογεῖν ἡλικίᾳ μὲν πρεσβυτέρων,... ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικοῦτον ὄντα γνωμολογεῖν ἀπρεπές, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν.

[*Rhet.* II, 21, 1395 a 2.

In aliis locis verba μῦθος et λόγος non contraria, sed diversa tantum esse videntur [*Resp.* 398 B; *Leg.* 872 D, *loc. jam cit.*].

Nonnunquam etiam μῦθος species quædam generis λόγου nuncupatur :

ὅσοι μυθώδεις τῶν λόγων καὶ ὅσοι ἀληθινώτεροι.... [*Resp.* 522 A.

unde facile intellegitur, cur mythus et oratio modo opponantur, modo confundantur. Alias enim legimus :

Λόγων δὲ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν ἀληθές, ψεῦδος δ' ἕτερον.

[*Resp.* 376 E.

Falsæ vero orationes nihil nisi mythi sunt, ut ex sequentibus apparet. Idem Plato apertius hic declarat :

Ὁ λόγος... ἔστι διπλοῦς, ἀληθής τε καὶ ψευδής. [*Crat.* 408 C.

Quæ sint orationes falsæ, mox enuntiat : scilicet mythi, qui in poematibus, præcipue in tragœdiis, inveniuntur :

ἐνταῦθα γὰρ πλεῖστοι οἱ μῦθοί τε καὶ τὰ ψεύδη ἐστίν, περὶ τὸν τραγικὸν βίον. [*Ibid.*

unde definitionem mythi facile deducas :

Μῦθός ἐστι λόγος ψευδής.

Itaque, sive mythus species generis λόγου, sive contraria λόγῳ (scilicet veræ orationi) species est, semper aut falsa aut saltem dubia oratio est.

Nunc demum varios verbi μῦθος sensus colligamus : est fabula puerilis (aut senilis), antiqua, poetica, religiosa. Talibus igitur notis mythum jam agnoscemus. Semper vero falsa aut ficta oratio est, et veritati meræ opponitur, quæ ratione et dialectica methodo adipiscenda est. Veritas certa et manifesta, hæc est scientia, demonstratur et docetur; mythus contra, utpote falsus aut incertus, tantummodo narratur et suadetur. Quapropter verbo quodam nobis opus erit, ut ea, quæ in Platonis dialogis ab auctore pro vero et certo habentur et serio asseverantur, a mythicis sententiis et locis discernamus : quod verbum Plato ipse nobis obtulit :

διὰ μυθολογίας, ἀλλὰ μὴ διὰ διδαχῆς. [*Pol.* 304 D.

Didactica igitur mythicis opponere in regula decrevimus.

LIBER PRIMUS

MYTHORUM ENUMERATIO

Nunc quæ in Platonis dialogis mythica sint inquiramus, et mythos primum, sive ab auctore ipso mythi nominantur, sive mythicam speciem haud dubiam referunt, enumeremus : e prioribus autem indicia colligemus, quibus ad posteriores dignoscendos utemur.

CAPUT PRIMUM

MYTHI DE AMORE

§ I

In *Phædro* ambæ orationes a Socrate habitæ mythicæ sunt. Prior enim, quæ Lysiæ orationi opponitur [237 A — 241 D], sic incipit :

Ἄγετε δή, ὦ Μοῦσαι, εἴτε δι' ᾠδῆς εἶδος λίγειαι, εἴτε διὰ γένος μουσικὸν τὸ Λιγύων ταύτην ἔσχετε τὴν ἐπωνυμίαν, ξύμ μοι λάβεσθε τοῦ μύθου.... [237 A.

In quo loco plura notanda sunt : primo, μῦθον Socratis orationem vocari, cum contra Lysiæ oratio semper λόγος dicatur [227 B, C; 228 A, B, C, D; 230 D; 234 D, E; 235 B, E]; tum Musas a Socrate incipiente invocari, sicut poetæ solent; denique exordium illud solemnia sacerdotum verba facete imitari : εἴτε... εἴτε... quæ est maxime usitata invocandi aut precandi forma. Mox Socrates narrationem fingit :

Ἦν οὕτω δὴ παῖς.... [237 B.

quod exordii genus fabellarum puerilium vel Æsopicarum proprium est. Ita Plato significare voluit, non didacticam, sed mythicam orationem proferri. Narratione autem absoluta, Socrates hæc subjungit :

Καὶ οὕτω δὴ ὁ μῦθος, ὅ τι πάσχειν προσήκει αὐτῷ, τοῦτο πείσεται. [241 E.

Idem vero mythus λόγος alias nominatur :

... ἵν' ὅτι τάχιστα διαδράμω τὸν λόγον. [237 A.
... ἀλλ' ἤδη σοι τέλος ἐχέτω ὁ λόγος. [241 D.

[cf. 238 C, D] quod nequaquam mirandum est, et facile explicari potest : nam verbo μῦθος, tum in initio, tum in fine orationis posito, sine periculo mythum eumdem λόγον nuncupare auctor potuit.

Orationis autem hujus mythicum, id est poeticum simul et religiosum, colorem multis locis Plato notavit : nam Socrates Phædrum interrogat :

Ἀτὰρ... δοκῶ τι σοί, ὥσπερ ἐμαυτῷ, θεῖον πάθος πεπονθέναι;

cui Phædrus respondet :

Πάνυ μὲν οὖν... παρὰ τὸ εἰωθὸς εὔροιά τίς σε εἴληφεν. [238 C.

Socrates enim, colloquendi et disputandi, minime vero narrandi fabellas peritus, orationem continuam proferre non solebat. Itaque divino quodam afflatu vaticinatus est, divinamque loci naturam eloquentiæ suæ arguit :

Τῷ ὄντι γὰρ θεῖος ἔοικεν ὁ τόπος εἶναι· ὥστε, ἐὰν ἄρα πολλάκις νυμφόληπτος προϊόντος τοῦ λόγου γένωμαι, μὴ θαυμάσῃς. [238 C.

Et revera locum diis sacrum esse Plato monuit :

... Νυμφῶν τέ τινων καὶ Ἀχελῴου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶν τε καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι. [230 B.

Propterea poetico furore et, ut dicunt, œstro correptus Socrates verba fecit :

τὰ νῦν γὰρ οὐκέτι πόρρω διθυράμβων φθέγγομαι. [238 C.

Mox autem in fine loquendi Socrates dicit :

... ἤδη ἔπη φθέγγομαι, ἀλλ' οὐκέτι διθυράμβους. [241 E.

et quidem hexametro epico orationem clausit [241 D]. Nymphis iterum facundiam poeticam suam imputat :

Ἆρ' οἶσθ' ὅτι ὑπὸ τῶν Νυμφῶν, αἷς με σὺ προὔβαλες ἐκ προνοίας, σαφῶς ἐνθουσιάσω; [241 E.

ideoque Phædrum orationis falsæ et impiæ causam esse asserit :

Τούτων μέντοι σὺ αἴτιος. [238 D.
... δεινὸν λόγον αὐτός τε ἐκόμισας ἐμέ τε ἠνάγκασας εἰπεῖν... εὐήθη καὶ ὑπό τι ἀσεβῆ. [242 D.

Jam Socratem verba facturum sermonis pudebat :

Ἐγκαλυψάμενος ἐρῶ..., καὶ μὴ βλέπων πρὸς σὲ ὑπ' αἰσχύνης διαπορῶμαι. [237 A.

Adeoque orationis peractæ, quamvis poeticæ et divinæ, Socratem pænitet, ut Phædrum relinquere et rivum transire velit, ne quid majus ab eo patiatur [242 A]. Lysias enim et Socrates ipse in Amorem peccaverunt,

μηδὲν ὑγιὲς λέγοντε μηδὲ ἀληθές. [242 E.

Quapropter, antequam discedat Socrates, necesse est culpam expiet :

Ἔστι δὲ τοῖς ἁμαρτάνουσι περὶ μυθολογίαν καθαρμὸς ἀρχαῖος, ὃν Ὅμηρος μὲν οὐκ ᾔσθετο, Στησίχορος δέ. [243 A.

Quibus verbis ipsis orationem suam carminibus poetarum assimulat. Stesichorum igitur imitabitur, et palinodia Amorem placabit :

Πειράσομαι αὐτῷ ἀποδοῦναι τὴν παλινῳδίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, καὶ οὐχ ὥσπερ τότε ὑπ' αἰσχύνης ἐγκεκαλυμμένος. [243 B.

Et revera Stesichori palinodiæ exordium initio secundæ orationis per jocum imitabitur :

Λεκτέος δὲ ὧδε ὅτι · Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος.... [244 A ; cf. 243 A.

Falsam igitur priorem hanc orationem esse Socrates declarat, quam ipse mythum vocat : nam et poetico splendore et religioso instinctu nitet. Nihilominus erga deum Socrates peccavit : immo, ista oratio, quamvis a Musis Nymphisque sit inspirata, vel potius propter id ipsum, mythica et falsa est.

§ II

Nunc secunda Socratis in *Phædro* consideranda est oratio [244 A — 257 B], in qua nobilissimus ille de Amore mythus invenitur. Hujus initium facile dispicitur :

Περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῆς [scilicet τῆς ψυχῆς] ὧδε λεκτέον · οἷον μέν ἐστι, πάντῃ πάντως θείας εἶναι καὶ μακρᾶς διηγήσεως, ᾧ δὲ ἔοικεν, ἀνθρωπίνης τε καὶ ἐλάττονος. [246 A.

Quæ verba ad mythos recte interpretandos maximi momenti sunt; nunc vero formam hujus exordii tantum attendamus oportet, ubi scientia perfecta, utpote divina, humanæ cognitioni, quæ per imagines et mythos fit, opponitur. Mythum autem hic incipi Plato ipse infra monet :

... ἐν ἀρχῇ τοῦδε τοῦ μύθου τριχῇ διειλόμεν ψυχὴν ἑκάστην.... [253 C.

quæ verba ad hunc locum nos remittunt :

Ἐοικέτω δὴ ξυμφύτῳ δυνάμει ὑποπτέρου ζεύγους τε καὶ ἡνιόχου. [246 A.

Mox poeticam mythi virtutem Plato ostendit :

Τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον οὔτε τις ὕμνησέ πω τῶν τῇδε ποιητὴς οὔτε ποθ' ὑμνήσει κατ' ἀξίαν. [247 C.

quibus verbis se ipsum poetam esse profitetur; et revera supracælestem illam sedem velut carmine soluto describere pergit.

Quæ vero sequuntur miranda et maxime notanda sunt :

Τολμητέον γὰρ οὖν τό γε ἀληθὲς εἰπεῖν, ἄλλως τε καὶ περὶ ἀληθείας λέγοντα. [247 C.

Quæ sit illa « veritas », de qua Plato loquitur, facile ex aliis locis intellegi potest : eam enim sic statim definit :

ἡ γὰρ ἀχρώματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀναφὴς οὐσία ὄντως οὖσα, ψυχῆς κυβερνήτῃ μόνῳ θεατὴ νῷ, [*Ibid.*

et in plurimis locis eamdem « τἀληθῆ » et « τὸ ὄν » sive « τὰ

ὄντα » vocat [247 D, 248 B, C, 249 B; 247 E, 248 A, B, 249 C]. Quæ omnia verba unum atque idem designant, Ideas scilicet quæ, secundum Platonem, solæ revera sunt. Harum enim nonnullas obiter enumerat :

... καθορᾷ μὲν αὐτὴν δικαιοσύνην, καθορᾷ δὲ σωφροσύνην, καθορᾷ δὲ ἐπιστήμην.... [247 D.

Itaque semper anima Ideas, tanquam res sensiles et oculis objectas, *videre, intueri, contemplari* dicitur; essentiam vero, ens absolutum ac verum, aliquid prorsus invisibile esse Plato sæpissime asserit. Quomodo igitur « veritatem de veritate », hoc est de Ideis, se prolaturum audacter pollicitus est? Ironice tantum hoc promittere sane potuit. Exemplum illud monstrat, Platonem in mythis sæpe falsa tanquam vera asserere; neque hoc est mirandum, nam quicumque falsa aut ficta narrat, ea ipsa maxime vera esse contendere solet.

Poeticam formam et epicum colorem hujus mythi, præsertim in capp. XXXIV et XXXV, nemo non animadvertit; quod præterea auctor ipse sub fine confitetur et excusare videtur :

Αὕτη σοι, ὦ φίλε Ἔρως, εἰς ἡμετέραν δύναμιν ὅ τι καλλίστη καὶ ἀρίστη δέδοταί τε καὶ ἐκτέτισται παλινῳδία, τά τε ἄλλα καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἠναγκασμένη ποιητικοῖς τισὶ διὰ Φαῖδρον εἰρῆσθαι. [257 A.

et mythum orationemque suam precibus claudit, quibus Phædrus respondet :

Συνεύχομαί σοι.... [257 B.

Eamdem igitur poeticam simul et religiosam virtutem mythus hic, atque prior Socratis oratio, habet; itaque « mythicum carmen » auctor eum vocat :

μυθικόν τινα ὕμνον προσεπαίσαμεν... τὸν... Ἔρωτα. [265 C.

Diis quoque, sicut prior oratio, et geniis loci mythus refertur :

Φεῦ, ὅσῳ λέγεις τεχνικωτέρας Νύμφας τὰς Ἀχελῴου καὶ Πᾶνα τὸν Ἑρμοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου πρὸς λόγους εἶναι. [263 D.

quippe qui poetico quodam furore pronuntiatus sit :

ἐγὼ γὰρ διὰ τὸ ἐνθουσιαστικὸν οὐ πάνυ μέμνημαι. [*Ibid.* cf. 241 E.

Jam antea deos et genios loci Socrates orationis suæ auctores esse asseruit :

αἰτιῶμαι τοὺς ἐντοπίους θεούς. [262 D.

In fine denique dialogi rursus Socrates sacram loci naturam memorat :

Νῷ καταβάντε εἰς τὸ Νυμφῶν νᾶμά τε καὶ μουσεῖον ἠκούσαμεν λόγων.... [278 B.

et jam abiturus deos ruris incolas precatur, ut significet, mythos omnes ab iis esse profectos [279 B, C].

§ III

Omnes in *Convivio* ad Amorem laudibus extollendum habitæ orationes mythicæ sunt. Poeticam autem sermonum illorum virtutem hæc Eryximachi verba jam nuntiant :

Ἡ μέν μοι ἀρχὴ τοῦ λόγου ἐστὶ κατὰ τὴν Εὐριπίδου Μελανίππην · οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλὰ Φαίδρου τοῦδε, ὃν μέλλω λέγειν. [177 A.

Phædrum vero fabularum maxime curiosum fuisse in dialogo cognomine jam comperimus [*Phædr.* 229 B — 230 A] eumque mythicarum Socratis orationum quodammodo causam fuisse. Hic rursus Phædrus idem, carminum amator, sermonum poeticorum et fabularum quæ mox narrabuntur auctor esse videtur [πατὴρ τοῦ λόγου, 177 D] :

Οὐ δεινόν, φησίν,... ἄλλοις μέν τισι θεῶν ὕμνους καὶ παιῶνας εἶναι ὑπὸ τῶν ποιητῶν πεποιημένους, τῷ δὲ Ἔρωτι, τηλικούτῳ ὄντι καὶ τοσούτῳ θεῷ, μηδὲ ἕνα πώποτε τοσούτων γεγονότων ποιητῶν πεποιηκέναι μηδὲν ἐγκώμιον; [177 A.

Itaque Amorem laudandum convivis Eryximachus proponit; quapropter non orationes didacticas in *Convivio*, sed sermones fere poeticos et quasi mythicos hymnos [ὑμνῆσαι, 177 C], sicut in *Phædro* [265 C], legemus : quos ordine enumerabimus.

Primus igitur Phædrus loquitur [178 A — 180 B], cujus

oratio poetarum fabulis, scilicet de Alcestide, de Orpheo et de Achille, ornata vel potius referta est.

Post eum Pausanias [180 C — 185 C] duplicem esse Amorem, sicut Venerem, contendit; quam Veneris cœlestis et vulgaris Veneris distinctionem Socrates mox usurpabit.

Eryximachus medicus duos quoque Amores constituit, quorum diversam in medicina virtutem exponit. Cujus oratio omnium minime mythica est [185 E — 188 E].

Hunc vero Aristophanes excipiens fabulosam contra et lepidam et vere comicam orationem profert [189 C — 193 D]. Ridiculam de androgynis fabulam narrat, ut tria amorum genera mythice explicet. Animadvertendum est, Platonem in mytho hoc fingendo γιγαντομαχίας et veteres θεογονίας imitatum esse.

Comico poetæ tragicus succedit poeta Agatho, qui epico carmine potius quam oratione pedestri Amorem celebrat [194 E — 197 E]. Sicut Phædrus, poetas plurimos citat, et quidem hæc addit :

ποιητοῦ δ' ἔστιν ἐνδεής, οἷος ἦν Ὅμηρος.... [195 D.

et splendidam magnificamque orationem sic claudit :

Οὗτος... ὁ παρ' ἐμοῦ λόγος, ὦ Φαῖδρε, τῷ θεῷ ἀνακείσθω, τὰ μὲν παιδιᾶς, τὰ δὲ σπουδῆς μετρίας, καθ' ὅσον ἐγὼ δύναμαι, μετέχων. [197 E.

Quibus verbis orationem deo consecrare videtur. Parum seriam esse eam tamen confitetur; quod valde notandum est, quia omnes fere mythi ita serio simul et joco quodammodo temperantur.

Socrates denique, ultimo loco verba facturus, Agathonem primum ironice laudat; deinde opiniones ejus inanes refellit; tum, post breve cum Agathone colloquium dialectice ductum, sic pergit :

Καὶ σὲ μέν γε ἤδη ἐάσω · τὸν δὲ λόγον τὸν περὶ τοῦ Ἔρωτος, ὅν ποτ' ἤκουσα γυναικὸς Μαντινικῆς Διοτίμας... ὃν οὖν ἐκείνη ἔλεγε λόγον πειράσομαι ὑμῖν διελθεῖν.... [201 D.

Mythum verbo λόγον nuntiari non jam mirandum est. Verbo autem Μαντινικῆς Plato Diotimam esse fatidicam (μάντιν) signi-

ficat, et simul artem divinatoriam (μαντικήν), quam mox Amori propriam tribuit [202 E], alludit.

Se ipsum cum Diotima colloquentem Socrates primum fingit, ut dialogum cum Agathone inceptum quasi persequatur. Mox vero Diotimam ipsam continuo sermone loquentem inducit, ita ut dialogus languescens paulatim in narrationem mythicam abeat. Socrates enim Diotimam sic de Amore rogat :

Πατρὸς δὲ... τίνος ἐστὶ καὶ μητρός; [203 A.

Cui Diotima respondet :

Μακρότερον μὲν... διηγήσασθαι · ὅμως δέ σοι ἐρῶ. [203 B.

Illa autem quæstio de Amoris ortu mythum quasi provocat; nam μυθολογεῖν et γενεαλογεῖν idem esse novimus. Præterea omnes qui antea locuti sunt originem Amoris mythicam exposuerunt; ita ut Diotima, vel Socrates potius, fabulam quoque de Amoris ortu narrare cogatur. Statim igitur mythica incipit narratio, epico carmini similis :

Ὅτε γὰρ ἐγένετο ἡ Ἀφροδίτη, εἱστιῶντο οἱ θεοί.... [203 B.

Mythicam Diotimæ orationem valde poetica et vere lyrica conclusio, sublimibus verbis et sententiis pariter insignis, coronat. Tum Socrates addit :

Ταῦτα δή, ὦ Φαῖδρέ τε καὶ οἱ ἄλλοι, ἔφη μὲν Διοτίμα, πέπεισμαι δ' ἐγώ. [212 B.

Itaque Phædro, utpote mythorum studioso, orationem suam quasi dedicat. Præterea veram et didacticam esse non asserit, neque se talia scire, sed persuasum tantum habere profitetur : unde intellegas, non scientiæ, sed opinioni quæcumque dixerit pertinere, ideoque non dialectica methodo, verum mythica forma exposita esse. Sic demum finem loquendi Socrates facit :

Τοῦτον οὖν τὸν λόγον, ὦ Φαῖδρε, εἰ μὲν βούλει, ὡς ἐγκώμιον εἰς Ἔρωτα νόμισον εἰρῆσθαι, εἰ δέ, ὅ τι καὶ ὅπῃ χαίρεις ὀνομάζων, τοῦτο ὀνόμαζε. [212 C.

Quibus verbis significare videtur, talem orationem neque seriam omnino, neque contra prorsus poeticam, sed serio et joco mixtam esse, ideoque mythicam jure nominandam; nam mythus inter carmina et pedestrem sermonem locum medium obtinet.

CAPUT SECUNDUM

MYTHI DE INFERIS

§ IV

Præcipui aut saltem notissimi Platonis mythi de inferis et de vita futura agunt. Jam in *Phædri* mytho nonnulla de animarum migratione narrantur [cap. XXIX], ita ut mythis de Amore mythi de vita futura proximi ac velut affines videantur. Mythicam esse illam de animarum judicio et condicione fabulam satis monstrat, quod alas amittere et recuperare dicuntur : πτεροῦται [248 E] πτερωθεῖσαι [249 A]. Quæ omnia [248 E — 249 D] mox interpretabimur.

Quæ autem in *Phædro* tantum adumbrata sunt, in *Gorgiæ* mytho accuratius et fusius exponuntur [523 A — 526 D]. Quem mythum verbo λόγος nuntiari ne miremur :

... ἐθέλω λόγον λέξαι. [522 E.

Sic vero Socrates pergit :

Ἄκουε δή, φασί, μάλα καλοῦ λόγου, ὅν σὺ μὲν ἡγήσει μῦθον,... ἐγὼ δὲ λόγον. [523 A.

quibus verbis solemne fabularum initium ironice et quasi subridens imitatur. Quapropter cavendum est ne fabulam istam pro veritate mera accipiamus, quamvis eam Socrates veram esse asserere serio videatur :

ὡς ἀληθῆ γὰρ ὄντα σοι λέξω ἃ μέλλω λέγειν. [*Ibid.*

Ταῦτ' ἔστιν, ὦ Καλλίκλεις, ἃ ἐγὼ ἀκηκοὼς πιστεύω ἀληθῆ εἶναι. [524 B.

Ἐγὼ μὲν οὖν, ὦ Καλλίκλεις, ὑπὸ τούτων τῶν λόγων πέπεισμαι. [526 D.

Nam per mythum totum Homerum testem adhibuit; jam ab initio statim :

Ὥσπερ γὰρ Ὅμηρος λέγει.... [523 A.

tum : μαρτυρεῖ δὲ τούτοις καὶ Ὅμηρος.... [525 D.

denique sub fine : ὥς φησιν Ὀδυσσεὺς ὁ Ὁμήρου.... [526 D.

ita ut fabulam Homerico versu concludat. Ne igitur vocabulo λόγος, quo talia argumenta designat, nimiam fidem habeamus, nam in omnibus istis verbis multa ironia latet [cf. 524 B : ἐκ τούτων τῶν λόγων, et 526 D] et poetas pessimos veritatis testes esse Plato ipse docet.

Mox autem Socrates fabulam illam mythicam esse declarat, et fide parum dignam esse confitetur :

Τάχα δ' οὖν ταῦτα μῦθός σοι δοκεῖ λέγεσθαι ὥσπερ γραός, καὶ καταφρονεῖς αὐτῶν · καὶ οὐδέν γ' ἂν ἦν θαυμαστὸν καταφρονεῖν τούτων, εἴ πῃ ζητοῦντες εἴχομεν αὐτῶν βελτίω καὶ ἀληθέστερα εὑρεῖν. [527 A.

Quibus verbis significat Plato, quædam inveniri posse, quæ hac fabula meliora et magis vera, hoc est didactica sint : nam scientia opinioni, veritasque mytho longe anteponenda est. Hæc autem in posterius remittenda sunt.

§ V

Gorgiæ mytho simillimus est *Phædonis* mythus, qui de judicio post mortem et de animarum sorte in futura vita refertur [107 E — 114 C]; sed maxima pars ejus in mundo fabulose describendo versatur [108 D — 113 C].

In *Gorgia* mythus expressis verbis nuntiatur; in *Phædone* contra tacite inducitur vel potius insinuatur : his enim fere verbis incipere videtur :

Λέγεται δὲ οὕτως, ὡς ἄρα [1] τελευτήσαντα ἕκαστον ὁ ἑκάστου δαίμων... ἄγειν ἐπιχειρεῖ.... [107 D.

1. Eadem loquendi forma invenitur in loco jam citato [*Resp.* 381 E].

Hoc verbum λέγεται, quo mythus nuntiatur, jam supra legimus (μέγιστα λέγεται ὠφελεῖν...) ita ut initium mythi proprium dispicere difficile sit. Quod nunc tantum animadvertimus, postea autem explicare conabimur. Idem verbum in mythi tenore repetitur : Λέγεται τοίνυν.... [110 B.
postquam mythum se narrare Socrates tandem confessus est :

Εἰ γὰρ δεῖ καὶ μῦθον λέγειν.... [110 B.

cui Simmias respondet :

ἡμεῖς γε τούτου τοῦ μύθου ἡδέως ἂν ἀκούσαιμεν. [*Ibid.*

ubi verbum ἡδέως mythum istum ad voluptatem audientium potius quam ad rei veritatem compositum esse denuntiat. [Cf. mythi finem, 114 D]. Verum antea jam absurda plane et fabulosa de *vera* terra Socrates narraverat :

ὅτι ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀληθῶς οὐρανὸς καὶ τὸ ἀληθῶς φῶς καὶ ἡ ὡς ἀληθῶς γῆ. [109 E.

qui locus aperte monstrat, quæ ut maxime vera in mytho asseverantur, ea re ipsa maxime falsa et mythica esse.

Præterea multis indiciis mythum agnoscere jam possumus : Socrates enim non suam, sed alterius cujusdam opinionem se referre dicit :

... ὡς ἐγὼ ὑπό τινος πέπεισμαι. [108 C. Cf. *Gorg.* 526 D.

sicut a Diotima mythum de Amore se accepisse in *Convivio* finxit. Opinionem vero, non scientiam de talibus rebus se habere profitetur : verbum enim πέπεισμαι haud semel repetit [108 E bis, 109 A]. Quin etiam vera non esse, quæ narraturus sit, Socrates ipse monet :

ὡς μέντοι ἀληθῆ, χαλεπώτερόν μοι φαίνεται ἢ κατὰ τὴν Γλαύκου τέχνην, καὶ ἅμα μὲν ἐγὼ ἴσως οὐδ' ἂν οἷός τε εἴην, ἅμα δέ, εἰ καὶ ἠπιστάμην, ὁ βίος μοι δοκεῖ ὁ ἐμός... τῷ μήκει τοῦ λόγου οὐκ ἐξαρκεῖ. [108 D.

Itaque veritatem hujus fabulæ affirmare non audet, neque injuria; tum scientiam certam (ἠπιστάμην) opinioni et persuasioni (πέπεισμαι) opponere videtur, ut fabulas istas meras

opiniones esse indicet, quod jam verbo δοξάζεται [108 C] significavit[1]. Maxime vero novissima verba notanda sunt : Plato enim mythum, ut brevem et faciliorem viam [τὸν μῦθον, 114 D] scientiæ veræ et absolutæ, utpote hominibus nimis longæ et difficili, opponere solet [cf. *Phædr*. 246 A].

§ VI

Eadem quoque in *Reipublicæ* mytho invenimus, scilicet inferorum, beatorumque sedium et universi mundi descriptionem, judicia post mortem et varias animarum sortes, quas quæque meruerunt. Hic mythus certis finibus continetur, et præterea tam nobilis est, ut longa disputatione nobis opus non sit [614 B — 621 B]. Sic enim incipit :

Ἀλλ' οὐ μέντοι σοι... Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μὲν ἀνδρός, Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου, τὸ γένος Παμφύλου. [614 B.

Verbo igitur ἀπόλογος mythus hic nuntiatur, quod verbo μῦθος synonymum est, et de fabulis Æsopicis dici solet.

Maximam vero mythi partem absumunt fusi Necessitatis descriptio, Lachesis oratio et vitarum ab animis eligendarum sortitio : quæ omnia mythico et poetico colore insignia sunt; sed maxime sub fine Plato jocari videtur, cum celeberrimas fabulæ et epicæ poeseos personas inducit, et quomodo Orphei, Thamyri, Ajacis, Agamemnonis, Atalantæ, Epei, Thersitæ, denique Ulyssis animæ novas vitas elegerint lepida quadam festivitate narrat. Fabulam totam in fine tandem mythum vocat :

Καὶ οὕτως... μῦθος ἐσώθη καὶ οὐκ ἀπώλετο.... [621 C.

Quid vero hæc loquendi forma significet, mox explanabimus.

1. Cf. hunc ejusdem dialogi locum :

τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον... [*Phæd*. 84 A.

veritas enim non opinione, sed scientia apprehenditur.

CAPUT TERTIUM

PHYSICI ET POLITICI MYTHI

§ VII

Aliud in aliis dialogis mythorum genus reperitur, qui circa mundi et civitatum originem versantur, ita ut alii *physici*, alii *politici* jure nominari possint. Uno tamen eodemque capitulo utriusque speciei mythos comprehendimus, quia in dialogis miscentur et arte cohærent, ut mox apparebit.

Quorum primus profecto est qui in *Protagora* legitur [320 C — 324 D]. Nobilis ille sophista, qui se in omni dicendi genere callere jactat, audientibus optionem inter mythum et orationem dedit [320 C, *loc. jam cit.*]. Cum vero optio eadem ipsi rursus committatur, mythicam eligit formam, ut jucundiorem :

Δοκεῖ τοίνυν μοι, ἔφη, χαριέστερον εἶναι μῦθον ὑμῖν λέγειν. [320 C.

Tum statim mythum sic narrare incipit :

Ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν, θνητὰ δὲ γένη οὐκ ἦν.

Quo initio usitatam fabularum formam haud dubio imitatur. Præterea deos statim in fabula induci animadvertendum est, sicut jam ex *Phæd*. 60 C, *Resp*. 381 E, et aliis locis jam comperimus, ita ut semper in mythis dii quidam versentur. Non mythi tantum (ut in *Phædro*) diis referuntur et dedicantur, sed quæcumque in mythis fiunt, diis agentibus explicantur : dii igitur tum mythorum, tum omnium mythicorum eventorum causæ sunt.

Omnia autem quæ Protagoras de Prometheo et Epimetheo animalia genusque humanum fabricantibus et virtutibus diversis

ornantibus prorsus fabulosa sunt. Veterem et traditam illam de cælesti igne a Prometheo rapto fabulam ita immutat et auget et propriis fictionibus exornat, ut proposito suo proficiat. Hoc enim sophista probare conatur, omnes homines politicæ artis participes esse, ideoque rempublicam ab omnibus, hoc est a populo, gerendam esse : quod ex ipso mytho his verbis colligit :

Οὕτω δή... καὶ διὰ ταῦτα οἵ τε ἄλλοι καὶ οἱ Ἀθηναῖοι... [322 D.

Istam vero demonstrandi artem, poetarum fabulis fretam, Socrates contemnit [v. 347 C sqq.]; quapropter animadversione dignum est, in hoc dialogo mythum, non a Socrate, sed a sophista Socratis adversario allatum esse.

Secundam contra argumenti partem, virtutem scilicet discendo comparari posse, Protagoras non jam mythica, verum didactica via demonstrat :

Τούτου δὴ πέρι... οὐκέτι μῦθόν σοι ἐρῶ, ἀλλὰ λόγον. [324 D.

quibus verbis mythicam disputationem absolutam esse significat. Denique totam orationem, tam ex mytho quam e didacticis argumentis conflatam, sophista sic concludit :

Τοιοῦτόν σοι... ἐγὼ καὶ μῦθον καὶ λόγον εἴρηκα, ὡς διδακτὸν ἀρετή.... [328 C.

§ VIII

Mythum valde similem in *Politico* offendimus; in quo rerum natura et civitatum origo mira necessitudine junguntur [268 D — 274 D]. Cum regalis vel politici viri definitionem per methodum bipartitionis frustra quæsiverit, sic Eleaticus hospes disputationem redintegrat :

Πάλιν τοίνυν ἐξ ἄλλης ἀρχῆς δεῖ καθ'ἑτέραν ὁδὸν πορευθῆναί τινα. — Ποίαν δή; — Σχεδὸν παιδιὰν ἐγκερασαμένους.... [268 D.

Quis sit iste lusus, continuo declarat :

συχνῷ γὰρ μέρει δεῖ μεγάλου μύθου προσχρήσασθαι.... [*Ibid.*

et mytho iterum nuntiato Socratem juniorem attentum facit [*loc. jam cit.*], his verbis per jocum additis :

πάντως οὐ πολλὰ ἐκφεύγεις παιδείας ἔτη. [268 E.

Vocabulo παιδείας (aut παιδιᾶς, nam ambo verba cum idem sonent, sæpissime in codicibus commutantur), Plato rursus significat, mythum jocosam simul et puerilem fabulam esse. Tum veteres tres fabulas, ab antiquis traditas [268 E et 269 B], Solem scilicet propter nefandum Atrei scelus regressum esse, Saturnique regna, et homines primos e terra natos, memorat : quas fabulas unius mythi oblivione et vetustate deleti partes esse contendit. Revera autem Plato tres illos celeberrimos mythos in unum conjunxit, qui nisi in poetico ipsius ingenio nusquam exstitit, quemque proposito suo profuturum sperat :

εἰς γὰρ τὴν τοῦ βασιλέως ἀπόδειξιν πρέψει ῥηθέν. [269 C.

Hic quoque notandum est, statim ab initio mythi deum quemdam induci, mundi gubernatorem :

Τὸ γὰρ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ..., τοτὲ δ'ἀνῆκεν.... [269 C.

Deus ille mundum vicissim regit et remittit, quod sane mythicum est. Quæ etsi omnino incredibilia sunt, ut mox Plato confitetur :

παθήματα πολλὰ καὶ θαυμαστὰ καὶ καινά [270 D.

Socrates junior ut vera aut saltem verisimillima accipere videtur :

Φαίνεταί γ'οὖν δὴ καὶ μάλα εἰκότως εἰρῆσθαι πάνθ' ὅσα διελήλυθας. [270 B.

Κομιδῇ μὲν οὖν τοῦτό γε ἕπεται τοῖς ἔμπροσθεν. [271 C.

Hoc autem loco fabulas istas non absolute veras, sed tantum inter se convenientes esse fatetur. Quin etiam hospes ipse absurdam de hominibus terra genitis fabulam serio affirmat, et priscos ipsos homines testatur :

Τούτων γὰρ οὗτοι κήρυκες ἐγένονθ' ἡμῖν τῶν λόγων, οἳ νῦν ὑπὸ πολλῶν οὐκ ὀρθῶς ἀπιστοῦνται. [271 B.

Summa vero, quamvis abscondita, ironia hæc dicuntur, cum minimam veteribus auctoritatem Plato tribuat, sicut mox ostendemus. Ne igitur verbo λόγος, quod crebrius hic usurpatur, decipiamur [271 B, C, 272 B, 273 E, 274 AB] : auctor enim ipse quid de talibus fabulis senserit monere nos curavit. Nam, cum quæratur, num Saturni alumni feliciores fuerint quam nos, qui sub Jove vivimus, id facile posse dijudicari hospes respondet : beati scilicet fuerunt, si homines cum bestiis colloquentes et orationibus seriis rationibusque legitimis (διὰ λόγων) utentes, philosophiam veramque scientiam adepti sunt;

εἰ δὲ ἐμπιμπλάμενοι σίτων ἅδην καὶ ποτῶν διελέγοντο πρὸς ἀλλήλους καὶ τὰ θηρία μύθους, οἷα δὴ καὶ τὰ νῦν περὶ αὐτῶν λέγονται.... [272 C.

miseros fuisse eos Plato haud ambiguis verbis significat. Mythos itaque, *quales in hoc ipso loco narrantur*, auctor aspernatur, quippe qui nugis et mendaciis aut erroribus pleni sint. Quapropter magnopere nobis cavendum est, ne nimis Platonis mythos ad litteram accipiamus, quos ipse parum serios et fide indignos esse profitetur.

Præterea, cum in mytho ipso narrando verbo λόγος potissime usus sit, jam mythum sub fine proprio nomine vocat :

οὗ δ' ἕνεκα τὸν μῦθον ἠγείραμεν.... [272 D.

fabulamque peractam semper *mythum* nuncupat [274 DE, 275 B, 277 B bis]. Totus autem mythus ad regis definitionem vergit, ita ut inter mundi originem et civitatis constitutionem nihil, in Platonis sententia, interesse videatur.

§ IX

Idem ex Atlantidis mytho apparet, ubi fabulosam pristinæ Atheniensium civitatis cum quibusdam terræ eversionibus artissime conjunctam reperimus : qui mythus in *Timæo* primum adumbratur [21 A — 25 D], in *Critia* autem uberrime explicatus esset, quantum ab inchoati hujus libri initio conjicere licet.

Quomodo vero hæc fabula, profecto mythica, in utrumque dialogum inducatur, inquirere refert. In *Timæo* Hermocrates, Critiam indicans, hæc dicit :

Ὁ δ' οὖν ἡμῖν λόγον εἰσηγήσατο ἐκ παλαιᾶς ἀκοῆς. [20 D.

ubi verbum λόγος mythum significat, quod addita verba : « ἐκ παλαιᾶς ἀκοῆς » satis demonstrant. Critias autem, fabulam istam ut proferat rogatus, sic exorditur :

Ἄκουε δή, ὦ Σώκρατες, λόγου μάλα μὲν ἀτόπου, παντάπασί γε μὴν ἀληθοῦς.... [*Ibid.*

Quam exordii formam in fabulis narrandis usitatam jamjam agnoscimus [cf. *Gorg.* 523 A]. Ironice igitur veritatem hujus fabulæ narrator affirmat, ut fabulantium mos est. Præterea absurdam eamdem esse confitetur, ne nimiam ei fidem adhibeamus. Mox vero ita loquitur :

Ἐγὼ φράσω παλαιὸν ἀκηκοὼς λόγον οὐ νέου ἀνδρός. [21 A.

quæ omnia verba mythum haud dubie nuntiant [cf. *Tim.* 22 B, *loc. jam cit.*]. Famam enim ore traditam a veteribus significant, sicut postea comperimus :

Τὰ μὲν δὴ ῥηθέντα... ὑπὸ τοῦ παλαιοῦ Κριτίου κατ' ἀκοὴν τὴν Σόλωνος.... [25 D.

Animadvertendum autem maxime est hanc fabulam ab Ægyptio vetere quodam *sacerdote* Soloni narratam, et a Solone, qui *poeta* dicitur [21 C, D], Critiæ relatam esse : quæ omnia mythicam historiæ istius naturam detegunt :

καί τινα εἰπεῖν τῶν ἱερέων εὖ μάλα παλαιόν. [22 B.

Idem sacerdos Græcos omnes pueros esse dicit, ita ut senex pueris fabulas narrare videatur [cf. *Prot.* 320 C]. Quapropter mythos Græcos ut pueriles irridet :

Τὰ γοῦν νῦν δὴ γενεαλογηθέντα... περὶ τῶν παρ' ὑμῖν ἃ διῆλθες, παίδων βραχύ τι διαφέρει μύθων.... [23 B.

ubi verbum γενεαλογεῖν idem ac μυθολογεῖν valere novimus [*Introd.* § IX]. Vetustissima quoque ipsa, quæ narrantur, haud

semel dicuntur [22 A]; scimus autem mythos circa antiquitatem præcipue versari :

παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως ὑπὸ χρόνου καὶ φθορᾶς ἀνθρώπων ἠφανισμένα.... [20 E.

quæ nihil aliud monent, nisi fabulam istam a Platone ipso inventam esse : nam in *Politico* jam mythum a se compositum oblivione sepultum esse finxit :

Ἀλλὰ δὴ ποῖον ἔργον τοῦτο Κριτίας, οὐ λεγόμενον μέν, ὡς δὲ πραχθὲν ὄντως ὑπὸ τῆσδε τῆς πόλεως ἀρχαῖον διηγεῖτο κατὰ τὴν Σόλωνος ἀκοήν; [21 A.

Mythum semper asseveratum a narratore esse jam animadvertimus, quapropter talibus verbis ut serio dictis non confidere magnopere oportet :

... ὡς ἀληθῆ διακηκοὼς ἔλεγεν ὁ Σόλων. [21 DE.

Ironice tantum Plato fabulam illam τἀληθές [1] vocare potuit, et de eadem dicere :

... μὴ πλασθέντα μῦθον ἀλλ' ἀληθινὸν λόγον εἶναι. [26 E.

Ne igitur verbo λόγος sæpius usurpato attendamus :

τόν τε λόγον, ὃν ἀπ' Αἰγύπτου δεῦρο ἠνέγκατο [21 C; cf. 21 D bis, 26 E, 27 B.

Hoc demum maxime notabile est, fabulam istam die festo narratam olim esse et rursus narrari, et deæ Minervæ quasi « hymnum et laudationem » consecrari :

... καὶ τὴν θεὸν ἅμα ἐν τῇ πανηγύρει δικαίως τε καὶ ἀληθῶς οἷόνπερ ὑμνοῦντας ἐγκωμιάζειν. [21 A.

ita ut in politicis mythis Minervæ, sicut in *Phædri* et *Convivii* mythis Amoris, laudes celebrari videantur. Deam Atheniensibus et Saiticis communem sacerdos memorat [21 E] et fabulam ipsam illi dedicat :

μάλιστα δὲ τῆς θεοῦ χάριν... [23 D.

1. Μετενεγκόντες ἐπὶ τἀληθές.... φήσομεν ἐκείνους τοὺς ἀληθινοὺς εἶναι προγόνους ἡμῶν.... [26 D.

Denique Socrates quoque, sicut Critias supra [21 A] mythum hunc deæ feriis maxime convenire monet :

... ὃς τῇ τε παρούσῃ τῆς θεοῦ θυσίᾳ διὰ τὴν οἰκειότητ' ἂν πρέποι μάλιστα. [26 E.

Religiosa itaque quædam virtus mytho tribuitur, non ita tamen, ut ejus veritas asseveretur.

Eamdem fabulam Critias, in cognomine dialogo, fuse persequitur, ita ut *Timæus* totus nihil nisi mythi hujus præfationem continere videatur [cf. *Tim.* 27 A, cum *Crit.* 106 B]. Critiam Hermocrates his verbis compellat :

Προϊέναι τε οὖν ἐπὶ τὸν λόγον ἀνδρείως χρή, καὶ τὸν Παίωνά τε καὶ τὰς Μούσας ἐπικαλούμενον τοὺς παλαιοὺς πολίτας ἀγαθοὺς ὄντας ἀναφαίνειν τε καὶ ὑμνεῖν. [108 C.

Ultimo verbo ὑμνεῖν Plato « mythicum hymnum » [*Phædr.* 265 C] exprimere voluit, quod cum locis *Timæi* novissime citatis omnino congruit. Critias vero hæc respondet :

... καὶ πρὸς οἷς θεοῖς εἶπες τούς τε ἄλλους κλητέον, καὶ δὴ καὶ τὰ μάλιστα Μνημοσύνην · σχεδὸν γὰρ τὰ μέγιστα ἡμῖν τῶν λόγων ἐν ταύτῃ τῇ θεῷ πάντ' ἐστί. [108 D.

Non solum igitur Musas, sed etiam et præcipue Mnemosynen, earum matrem, invocat, ut declaret, fabulam se historicam, non orationem seriam et didacticam elocuturum esse, hanc enim e ratione, illam contra e *memoria* pendere. Nomen hujus deæ allegorice usurpari patet, nam verba : ἐν ταύτῃ τῇ θεῷ non recte intellegi possunt, nisi ea sic interpreteris : « *in* memoria narrationem positam esse »; quod etiam atque etiam sequentia confirmant : Μνησθέντες γάρ.... [*Ibid.*
et paulo infra, cum fabulam ipsam exorditur :

Πάντων δὴ πρῶτον μνησθῶμεν... [108 E.

ita ut hæc omnia *memoria* tenere et *memorare* videatur. Nihil aliud igitur Musarum ceterorumque deorum invocatio significat, nisi mythica esse quæ postea narrantur, quippe quæ non dialectica methodo et ratiocinatione inveniantur, sed poetarum more memoriter referantur, immo imaginatione et poetico ingenio omnino fingantur.

§ X

Timæus ipse totus mythicus est : nam in Platonis consilio primus tantum trilogiæ cujusdam dialogus erat, quam ipse expressis verbis nuntiat [*Tim.* 20 AB et *Crit.* 106 B, 108 A, C]. Præterea *Timæus* cum *Critia* artissime conjunctus est, nam *Critiæ* initium orationis Timæi finem efficit. *Critias* autem, cum in Atlantidis mytho fuse enarrando totus absumatur, omnino fabulosus, et revera epico colore insignis est. Ergo necesse est, *Timæum*, qui *Critiæ* quasi prooemium, ex auctoris sententia, constituit, nihilo minus quam *Critiam* mythicum esse : ambo enim dialogi nihil aliud quam unius ejusdemque mythi partes sunt. Itaque in trilogia illa, quam Plato pollicitus est, non vero perfecit, eadem physicorum et politicorum mythorum cognatio apparet, quam in *Protagoræ* et *Politici* mythis jamjam animadvertimus; nam cum de civitate condenda et de legibus instituendis agatur, naturam rerum et mundi originem prius exponendas esse Plato arbitratur [*Tim.* 27 AB]. Ut igitur *Critias* politicus mythus, ita *Timæus* physicus mythus jure nominandus est.

Quam sententiam multa indicia plurimique *Timæi* loci confirmant, sed maxime deorum invocatio, qua Timæus, sicut postea Critias, orationem exorditur, suadente Socrate :

... ἐπικαλέσαντα κατὰ νόμον θεούς. [27 B.

cui haud sine abdita ironia respondet Timæus :

Ἀλλ', ὦ Σώκρατες, τοῦτό γε δὴ πάντες... ἐπὶ παντὸς ὁρμῇ καὶ σμικροῦ καὶ μεγάλου πράγματος θεὸν ἀεί που καλοῦσιν · ἡμᾶς δὲ τοὺς περὶ τοῦ παντὸς λόγους ποιεῖσθαί πῃ μέλλοντας... ἀνάγκη θεούς τε καὶ θεὰς ἐπικαλουμένους εὔχεσθαι... [27 C.

Tum quæ scientiæ, quæ opinioni subjecta sint distinguit : Ideas scilicet, utpote æternas et immutabiles, firma et certa cognitione amplecti, mundum contra et res sensiles opinione tantum verisimili comprehendi posse docet; itaque de rerum

origine non didactice, sed mythice tantum disserendum esse :

... ὥστε περὶ τούτων τὸν εἰκότα μῦθον ἀποδεχομένους πρέπει τούτου μηδὲν ἔτι πέρα ζητεῖν. [29 D.

Mythum verisimilem se proferre, neque aliud nisi verisimilitudinem quærere, Timæus haud semel nos monet. Sic enim, loco novissime citato alludens, postea loquitur :

Τὸ δὲ κατ' ἀρχὰς ῥηθὲν διαφυλάττων, τὴν τῶν εἰκότων λόγων δύναμιν, πειράσομαι μηδενὸς ἧττον εἰκότα... λέγειν. [48 D.

statimque, novam mythicæ orationis partem aggrediens, deum iterum invocat :

Θεὸν δὴ καὶ νῦν ἐπ' ἀρχῇ τῶν λεγομένων σωτῆρα ἐξ ἀτόπου καὶ ἀήθους διηγήσεως πρὸς τὸ τῶν εἰκότων δόγμα διασῴζειν ἡμᾶς ἐπικαλεσάμενοι πάλιν ἀρχώμεθα λέγειν. [48 DE.

Mirandum sane est, deum in « absurda et insolita » dissertatione invocari; nec tamen Timæum deus ab errore aut dubio servat, nam paulo post legimus :

Τὸ μὲν οὖν δὴ παρ' ἡμῶν ἕνα αὐτὸν [scil. τὸν κόσμον] κατὰ τὸν εἰκότα λόγον πεφυκότα μηνύει [θεός], ἄλλος δὲ εἰς ἄλλα πῃ βλέψας ἕτερα δοξάσει. [55 D.

tantum abest, ut Plato opiniones a deo quodam injectas pro certis verisque habeat. Verbum μῦθος rursus in pluribus locis invenimus :

... τὴν τῶν εἰκότων μύθων μεταδιώκοντα ἰδέαν. [59 C.

... διασῴζοι τὸν εἰκότα μῦθον. [68 D.

mox autem mythum absolvendum esse dicitur :

καὶ τελευτὴν ἤδη κεφαλήν τε τῷ μύθῳ πειρώμεθα ἁρμόττουσαν ἐπιθεῖναι τοῖς πρόσθεν. [69 B.

Denique sub dialogi finem legimus :

... κατὰ λόγον τὸν εἰκότα.... [90 E.

sicut in mythicæ orationis initio [30 B]; quæ omnia [1] etiam atque etiam probant, non hunc aut alterum dialogi locum, sed universam Timæi orationem uno tenore mythicam esse. Quam, sicut inceperat, precibus quoque absolvit, ita ut totus physicus mythus diis dedicetur :

Τῷ δὲ πρὶν μὲν πάλαι ποτ' ἔργῳ, νῦν δὲ λόγοις ἄρτι θεῷ γεγονότι προσεύχομαι.... [*Crit.* 106 A.

quibus in verbis summa ironia latet : nam ut deum precatur mundum ipsum, cujus modo originem et naturam exposuit, quemque verbis quasi construxit, ita ut pietas ejus erga deum visibilem et *natum* parum seria videatur. Totam vero orationem mythicam, ideoque incertam, esse Timæus ipse confitetur, cum veram et certam scientiam pro opinione cæca et dubia a deo flagitet, quippe quæ sit optimum, immo solum ignorantiæ suæ et errorum, quos admittere potuit, remedium [*Crit.* 106 B.]

§ XI

Leges quoque mythicæ sunt, quod jam ab ipsa operis materia suspicari licet, cum de civitate condenda et de legibus ferendis in hoc toto dialogo agatur. Præterea ultimum illud et maximum Platonis opus in *Critiæ* imperfecti vicem successisse videtur, qui profecto mythicus erat : res autem civiles mythice a Platone tractari jam e *Protagora* et *Politico* didicimus, et mythice tantum tractandas esse postea confirmabimus. Sicut igitur *Timæus* mythicam naturæ historiam exposuit, ita *Leges* Platonicam civitatem mytho quodam ingente describunt et quasi depingunt [2]. Quod quidem non ratio et libri argumentum solum, sed multa in dialogi tenore indicia demonstrant.

1. Adde locos, ubi verisimilem, non vero expresse mythicam esse Timæi de natura rerum doctrinam dicitur : 44 CD, 56 B, CD, 57 D, 59 D, 62 A, 67 D, 68 B, 72 D, et cetera.

2. Civitatem pictæ tabulæ Plato haud semel æquiparat : *Leg.* 769 B, C, 770 B, 934 C. Cf. *Remp.* 420 C, D, 472 D.

Jam primum libri vocabulum lectori Platonici sermonis perito mythum denuntiat :

Θεὸς, ἤ τις ἀνθρώπων ὑμῖν, ὦ ξένοι, εἴληφε τὴν αἰτίαν τῆς τῶν νόμων διαθέσεως; — Θεός, ὦ ξένε, θεός.... [624 A.

nam hucusque deorum mentionem semper in mythis fieri comperimus. Tum senes tres de legum origine confabulantur, et Jovem Cretensibus, Apollinem vero Lacedæmoniis leges dedisse, sicut in antiquis mythis et a poetis (inter quos Homerus citatur) traditum est, referunt. Priscas illas de civitatum origine fabulas, quæ in mythis numerari solent [cf. *Introd.* § IV] agnoscimus. Itaque ab initio statim *Legum* in meris mythis et senilibus fabulis versamur.

Mox vero expressis verbis colloquium hoc *mythus* nominatur : διαμυθολογοῦντες [632 E.
quod verbum non de præterito aut de præsente tantum sermone, verum de tota futura disputatione dicitur.

Præterea, in libro *Legum* III°, Atlantidis mythus memoratur et breviter repetitur :

Ἆρ' οὖν ὑμῖν οἱ παλαιοὶ λόγοι ἀλήθειαν ἔχειν τινὰ δοκοῦσιν;... Τὸ πολλὰς ἀνθρώπων φθορὰς γεγονέναι κατακλυσμοῖς τε καὶ νόσοις καὶ ἄλλοις πολλοῖς.... [677 A.

ita ut a mundi eversionibus, sicut in *Timæo*, initium capiendum esse videatur. Tum mythum de diluvio, et fabulas de artibus a Dædalo, Orpheo, Palamede et aliis inventis legimus, quæ *Protagoræ*, *Politici* et *Critiæ* mythis similes sunt.

Mox autem Homerum de prisca civitatum forma testem, ut in mythis solet, Plato adducit [680 B, 681 E], Cyclopum societatem et fabulosam Trojæ originem memorat, et addit :

Εἰς δὴ τὸ πρόσθεν προέλθωμεν ἔτι τοῦ νῦν ἐπελθόντος ἡμῖν μύθου. [682 A.

quibus verbis, cum quæ jam dicta sunt, tum quæ sequuntur mythica esse monet [cf. 682 E, 683 D].

Tres priores *Legum* libros operis totius prooemium constituere auctor ipse declarat [702 B]. Ne quis vero prooemium hoc solum

mythicum esse putet, deum Atheniensis hospes ad civitatem condendam legesque instituendas invocat :

Θεὸν δὴ πρὸς τὴν τῆς πόλεως κατασκευὴν ἐπικαλώμεθα · ὁ δὲ ἀκούσειέ τε καὶ ἀκούσας ἵλεως εὐμενής τε ἡμῖν ἔλθοι, συνδιακοσμήσων τήν τε πόλιν καὶ τοὺς νόμους. [712 B.

et mytho rursus ut auxilio utitur; nam cum civitatem cptimam a deo regente nomen ducere existimet :

Τίς δ' ὁ θεός ; [713 A.

rogat Clinias; ille vero respondet :

Ἆρ' οὖν μύθῳ σμικρά γ' ἔτι προσχρηστέον ; [*Ibid.*

ita ut deum hunc mythice tantum adduci significat. Tum enim fabulam de Saturni regno et de aurea ætate, quam in *Politico* jam invenimus, memorat, eamque μῦθον et φήμην ipse vocat [713 C]. Deum igitur, qui huc inducitur, Saturnum esse satis apparet : ὁ Κρόνος [713 C] = ὁ θεός [713 D].

Mox autem deo incerto sine nomine alludit :

Ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων.... [715 E.

quibus verbis orationem mythicam, qua civibus ut sponte sua et libenter legibus obediant persuadere vult, exorditur. Sententiam istam, quamvis religiosam (immo quia religiosa est), mythicam esse locutio « ὁ παλαιὸς λόγος » monstrat, quæ plane idem atque « ὁ μῦθος » valet. Præterea ex Orphico poemate deprompta est, ubi non deus incertus, sed Jupiter ipse nominatus erat :

« Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται. »

Totius hujus orationis propositum Plato ipse mox aperit : nam leges non solum imperare, sed etiam maxime suadere debent, ne minis et pœnis nimium opus sit; itaque jussa et vetita oratione præcedenda et præparanda sunt, quæ civibus legum observationem commendet; orationem istam, quæ non ad veritatem docendam, sed ad obedientiam persuadendam apta est, Plato mythum semper vocat :

τῷ πρὸ τοῦ νόμου μύθῳ. [927 C.

aut legum prooemium :

παραμύθιά τε καὶ προοίμια [1], [923 C.

singulasque leges talibus prooemiis semper instruit. Universas quoque leges prooemio mythico ornandas esse censet : quod operis ipsius quatuor libri priores constituunt :

Τὰ δ' ἔμπροσθεν ἦν πάντα ἡμῖν προοίμια νόμων. [722 D.

et maxime oratio illa quam supra attigimus [716 A—718 C].

Non vero prooemia legum sola, sed leges ipsas mythicas esse Plato declarat. Semper enim leges carminibus assimulat, nec sine jocosa verborum cavillatione legibus perinde ac cantibus (qui νόμοι quoque vocabantur) prooemiis opus esse asserit [722 D, E] :

Πᾶσί γε νόμοις ἔστι προοίμια. [723 C.

Leges itaque et cantus comparare et verbo confundere Plato maximo studio videtur, ut etiam atque etiam leges mythicas esse moneat :

Καὶ τὸ μὲν προοίμιον τῶν νόμων... τέλος ἐχέτω, μετὰ δὲ τὸ προοίμιον ἀναγκαῖόν που νόμον ἕπεσθαι. [734 E.

quam cavillationem in *Timæo* quoque reperimus : postquam enim Timæus mythicam orationem exorsus est, Socrates hæc jocans obloquitur :

Τὸ μὲν οὖν προοίμιον θαυμασίως ἀπεδεξάμεθά σου, τὸν δὲ δὴ νόμον [2] ἡμῖν ἐφεξῆς πέραινε. [*Tim.* 29 D.

ubi νόμος non legem certe, sed cantum aut potius mythum significat. Itaque non solum prooemia legum, sed leges ipsæ quasi hymni canuntur :

Ταῦτα ἡμῶν ᾀδόντων προοίμια... δεῖ... μετὰ τὸ προοίμιον ᾄδειν μέγα [τὸν νόμον]. [854 C.

1. Cf. : παραμυθίας δὲ καὶ πειθοῦς.... [720 A.
2. Hunc locum parum intellexerunt, qui (Turicenses scilicet et Stallbaumius) lectionem λόγον pro νόμον admiserunt (v. contra Schneiderum).

Similem alterum locum referre juvat :

... ἐξ αὐτοῦ τοῦ προοιμίου... δεῖ τὸν ἐπὶ τούτῳ νόμον ὑμνεῖν.... [870 E.

[Cf. etiam 837 E, 840 C.]. Quapropter Plato legumlatorem cantori et oratori simul componere solet, quia leges non didacticam, verum poeticam et rhetoricam ad vulgus persuadendum virtutem habent :

τῷ τε ῥήτορι καὶ τῷ μελῳδῷ καὶ τῷ νομοθέτῃ.... [723 D.

Nec temere vel fortuito tria hæc nomina junguntur, nam tribus loquendi et scribendi generibus omnino respondent : rhetori λόγους, cantori μέλη seu carmina, legumlatori proprie μύθους seu νόμους Plato concedit [cf. *Leg.* 664 A, 840 C]. Quin etiam tria genera eadem in *Phædro* jam ordine eodem et certo consilio enumeravit, Lysiam oratorum, Homerum poetarum, Solonem legumlatorum quasi specimen eligens et ostendens [278 C], ita ut trium horum generum affinitas non per facetias asseratur, sed firma et constans Platonis sententia sit, cum reliqua ejus doctrina congrua.

Præterea ipse opus suum universum poemati quodammodo æquiparat :

Νῦν γὰρ ἀποβλέψας πρὸς τοὺς λόγους, οὓς ἐξ ἕω μέχρι δεῦρο δὴ διεληλύθαμεν ἡμεῖς... ἔδοξαν δ' οὖν μοι παντάπασι ποιήσει τινὶ προσομοίως εἰρῆσθαι. [811 C.

et parum verecunde *Leges* suas ut pulcherrimum optimumque poema pueris discendum et poetis pro exemplari proponendum esse arbitratur [811 DE]. Eamdem fere sententiam aliis verbis mox iterum declarat, cum tragœdias in civitate prohibet :

ἡμεῖς ἐσμὲν τραγῳδίας αὐτοὶ ποιηταὶ κατὰ δύναμιν ὅ τι καλλίστης ἅμα καὶ ἀρίστης. [817 B.

nisi quod hic ἔργῳ, illic λόγῳ se civitatem condere et ornare profitetur. Itaque se poetam esse (neque injuria sane) Plato prædicat :

ποιηταὶ δὲ καὶ ἡμεῖς ἐσμέν.... [*Ibid.*

Quid multa? Mythum Plato ipse hunc dialogum expresse vocavit :

... κατὰ τὴν παροῦσαν ἡμῖν τὰ νῦν μυθολογίαν. Οὔκουν δή που λέγων γε ἂν μῦθον ἀκέφαλον ἑκὼν καταλίποιμι.... [752 A.

Lusus quoque, et quidem seniles, *Leges* illas, severum et gravissimum tamen opus, haud semel vocare ausus est :

Καλῶς τοίνυν ἂν ἡμῖν ἡ πρεσβυτῶν ἔμφρων παιδιὰ μέχρι δεῦρ' εἴη τὰ νῦν διαπεπαισμένη. [769 A.

... παίζοντας παιδιὰν πρεσβυτικὴν σώφρονα.... [685 A.

Confer alium locum, ubi de physico mytho agitur :

μέτριον... παιδιὰν καὶ φρόνιμον.... [*Tim.* 59 D.

pluresque *Legum* ipsarum locos [636 C, 688 B, 690 D, 885 C].

Somnia etiam nonnunquam *Leges* esse dicuntur :

... ὄντως δὲ ἔσται σχεδὸν ὕπαρ ἀποτετελεσμένον, οὗ σμικρῷ πρόσθεν ὀνείρατος ὡς τῷ λόγῳ ἐφηψάμεθα.... [*Leg.* 969 B.

nec solum in fine, sed antea quoque idem legitur :

... πάντῃ σχεδὸν οἷον ὀνείρατα λέγων, ἢ πλάττων καθάπερ ἐκ κηροῦ τινὰ πόλιν καὶ πολίτας. [746 A.

et in ipso legum instituendarum initio similem locutionem reperimus :

Πειρώμεθα προσαρμόττοντες τῇ πόλει σοι, καθάπερ παῖδες [1], πρεσβῦται πλάττειν τῷ λόγῳ τοὺς νόμους. [712 B.

quibus verbis senes perinde ac pueros ludere Plato significat.

Denique singulas quasdam leges *mythos* auctor vocat :

Καὶ κατὰ παντὸς εἷς ἔστω μῦθος γάμου. [773 B.

... τῶν περὶ τὰ σώματα μύθων λεχθέντων. [790 C.

Οὗτός μοι μῦθος... περὶ γραμματιστῶν τε εἰρημένος ἅμα καὶ γραμμάτων. [812 A.

qui loci nullo modo intellegi possunt, nisi verbo μῦθος legem aut

1. Parisini codicis lectio, quam pauci intellexerunt, sed maxime Hermannus.

regulam significari animadvertamus, ita ut verbum illud pro νόμος positum esse videatur.

Cur autem leges omnes, secundum Platonis sententiam, mythicæ sint ideoque carminibus assimulentur, postea explanabimus. Nunc saltem animadvertere oportet, cantus invicem legibus assimulari :

... τὸ ἄτοπον τοῦτο, νόμους τὰς ᾠδὰς ἡμῖν γεγονέναι.... [799 E.

quod etiam atque etiam legum et carminum cognationem confirmat : ut e sequentibus apparet, ubi Plato nomen νόμος cuidam poeseos lyricæ generi a priscis hominibus impositum esse contendit, qui veram illam sed absconditam legum et carminum affinitatem quasi somniantes augurati sint [800 A]. Plato vero sententias proprias, præcipue mythicas, a veteribus auctoribus aut poetis seu enuntiatas seu quadam divinatione anticipatas esse sæpe finxit, cum revera ipse solus et primus eas invenerit : quod accurate notandum est, quo facilius locos quosdam alios expediamus.

CAPUT QUARTUM

MYTHI MINORES ET ALLEGORIÆ

§ XII

Præter magnos illos mythos, qui dialogi partem vel etiam dialogum totum obtinent, minores mythi in nonnullis dialogis leguntur, qui a majoribus nisi amplitudine non differunt. Quorum duo in *Phædro* invenimus : mythum scilicet de cicadis, et mythum de litterarum inventione.

Prior in colloquii remissione a Socrate inducitur, ut Phædrum ad disputationem excitet; nam cicadæ super eorum capita canentes et colloquentes, ait, nunquam fatigantur neque ob æstum dormitant : quapropter ipsis quoque, quamvis in meridie, non dormiendum, ut mancipia aut pecudes solent, sed alacriter disputandum esse [259 A]. Tum munus quoddam cicadis *divinitus* [1] concessum esse Socrates fingit. Quibus verbis erectus Phædrus, quem fabularum curiosissimum esse jam novimus [v. 229 B], Socratem rogat, quid sit illud munus :

Ἀνήκοος γάρ, ὡς ἔοικε, τυγχάνω ὤν. [259 B.

cui Socrates subridens respondet :

Οὐ μὲν δὴ πρέπει γε φιλόμουσον ἄνδρα τῶν τοιούτων ἀνήκοον εἶναι.

Hic plura animadvertenda sunt : fabulam a Socrate narratum iri, nam verbum ἀνήκοος famam [2] ore traditam nuntiat; hanc autem revera a Platone inventam esse, quippe quam Phædrus,

1. Quod verbum jam mythicam fabulam præsagit.
2. Ἀκοήν. Cf. infra 274 C.

mythis eruditissimus, ignoret; denique fabulam istam poeticam esse, quod vocabulum φιλόμουσον significat; præterea Musarum ipsarum in eadem mentio fit. Fabula autem his verbis incipit :

Λέγεται δ' ὥς ποτ' ἦσαν οὗτοι ἄνθρωποι τῶν πρὶν Μούσας γεγονέναι.

Solitum fabularum exordium statim agnoscimus. Mythum vero ipsum, adeo notum, hic repetere haud necesse est [cap. XLI], nam ejus formam tantum attendimus. Hanc vero seriam e jocosa et festiva fabula conclusionem postremo Socrates ducit :

Πολλῶν δὴ οὖν ἕνεκεν λεκτέον τι καὶ οὐ καθευδητέον ἐν τῇ μεσημβρίᾳ. [259 D.

cui Phædrus recreatus et docilis respondet :

Λεκτέον γὰρ οὖν.

Alter mythus in *Phædri* cap. LIX reperitur. Cum de recta scribendi ratione agatur, Socrates Phædrum sic compellat :

Οἶσθ' οὖν ὅπῃ μάλιστα θεῷ χαριεῖ λόγων πέρι πράττων ἢ λέγων; [274 B.

quæ verba, cum deo cuidam gratificandum esse dicatur, jam mythica sunt et mythum prænuntiant. Qui statim ita a Socrate inducitur :

Ἀκοήν γ' ἔχω λέγειν τῶν προτέρων.... [274 C.

cui Phædrus respondet :

Ἀλλ' ἃ φῂς ἀκηκοέναι λέγε. [*Ibid.*

Tum Socrates fabulam exorditur :

Ἤκουσα τοίνυν.... [*Ibid.*

et statim deum quemdam Ægyptium :

τῶν ἐκεῖ παλαιῶν τινὰ θεῶν,

nomine Theuth, multas artes et scripturam quoque invenisse narrat. Fabulam istam quæ ex Ægyptia religione deprompta videtur, a Socrate ipso fingi Phædrus intellegit, nam mytho enarrato statim respondet :

Ὦ Σώκρατες, ῥᾳδίως σὺ Αἰγυπτίους καὶ ὁποδαποὺς ἂν ἐθέλῃς λόγους ποιεῖς. [275 B.

quibus verbis Plato significat, fabulam, quam velut antiquam et religiosam referre videtur, a se ipso omnino excogitatam esse. Eidem mytho alias rursus, sed obiter tantum, Plato allusit :

... ὡς λόγος ἐν Αἰγύπτῳ Θεὺθ τινα τοῦτον γενέσθαι λέγων.... [*Phil.* 18 B.

ubi λόγος pro μῦθος sicut supra [275 B] certe ponitur.

Mythum alium, non Ægyptium quidem, sed Phœnicium Plato in *Republica* narrat, immo fingit : quem his verbis inducit :

Μηδὲν καινόν (omnis enim mythus vetus dicitur), ἀλλὰ Φοινικικόν τι, πρότερον μὲν ἤδη πολλαχοῦ γεγονός, ὥς φασιν οἱ ποιηταὶ καὶ πεπείκασιν, ἐφ' ἡμῶν δὲ οὐ γεγονὸς οὐδ' οἶδα εἰ γενόμενον ἄν, πεῖσαι δὲ συχνῆς πειθοῦς. [414 C.

Mythum autem ut *mendacium* Socrates jam nuntiavit, nunc absurdum et fide indignum prædicat; ita ut jure Glauco obloquatur :

Ὡς ἔοικας ὀκνοῦντι λέγειν. [*Ibid.*

cui Socrates miranda hæc verba respondet :

Δόξω δέ σοι καὶ μάλ' εἰκότως ὀκνεῖν, ἐπειδὰν εἴπω. [*Ibid.*

Eum enim pudet, fabulam prorsus incredibilem referre; quam tamen civibus suadendam esse censet. Sed, quamvis Glauco dixerit :

Λέγε καὶ μὴ φοβοῦ,

adhuc cunctatur et verecundia retinetur :

Λέγω δή, ait : καίτοι οὐκ οἶδα ὁποίᾳ τόλμῃ ἢ ποίοις λόγοις χρώμενος ἐρῶ. [414 CD.

Tum demum mythum exponit, quem a poetis traditum et vulgo persuasum esse dixit, ipse vero totum ad civitatis utilitatem finxit. Maxime in illo notandum est, quæcumque revera fiunt aut facta sunt, somnia prædicari :

ὥσπερ ὀνείρατα.... [414 D.

quæ contra falsa et mythica sunt, pro veritate duci :

τῇ ἀληθείᾳ.... [*Ibid.*

quæ verba universum mythorum consilium nobis aperiunt : nam quæcumque mythica sunt, ea ipsa civibus credenda sunt, ergo ea maxime ut vera ab auctore asseverantur; quod sæpe jam animadvertimus [*Phædr.*, 247 C, 274 C; *Gorg.*, 523 A; *Phæd.*, 109 E; *Tim.*, 20 D, 21 A, 26 D, E]. Hic vero secretam mendaciorum istorum rationem plane deprehendimus. Neque injuria Glauco Socratem sic compellat :

Οὐκ ἐτὸς πάλαι ᾐσχύνου τὸ ψεῦδος λέγειν. [414 E.

cui Socrates, mendacia agnoscens, respondet :

Πάνυ εἰκότως · ἀλλ' ὅμως ἄκουε καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ μύθου. [415 A.

orationemque mythicam ita proferre pergit :

... ὡς φήσομεν πρὸς αὐτοὺς μυθολογοῦντες. [*Ibid.*

Itaque se mythum pronuntiare aperte confitetur. Quem hæc verba sequuntur :

Τοῦτον οὖν τὸν μῦθον ὅπως ἂν πεισθεῖεν, ἔχεις τινὰ μηχανήν; [415 C.

rogat Socrates; Glauco autem respondet :

Οὐδαμῶς, ὅπως γ' ἂν αὐτοὶ οὗτοι · ὅπως μέντ' ἂν οἱ τούτων υἱεῖς καὶ οἱ ἔπειτα οἵ τ' ἄλλοι ἄνθρωποι οἱ ὕστερον. [415 CD.

Itaque adeo mendacia ista mythica fide indigna sunt, ut pueris tantum infantibus persuaderi queant. Maximi igitur momenti mythus hic erit, cum de universa mythorum componendorum ratione disseremus. Mythus idem rursus postea repetitur et Hesiodicæ de quatuor ætatibus fabulæ comparatur [*Resp.* 468 E, 547 A] [1].

§ XIII

Mythis minoribus allegorias, quibus Plato doctrinam suam illustrare solet, continuo jungendas esse censemus; eamdem

1. Fabulam de Gygis annulo, in *Republica* [359 D—360 B] narratam, inter *Platonicos* mythos numerandam esse non censeo; neque enim Platonis propria est, neque cum Platonica doctrina cohæret.

enim formam et virtutem figuræ illæ habent, ita ut ambitu tantum a mythis ipsis differant [1], quod ex ipsa harum recensione mox elucebit.

Talis est in primis illa animæ humanæ imago, quam in *Phædri* mytho jam invenimus; de qua Plato ipse sic loquitur :

Καθάπερ ἐν ἀρχῇ τοῦδε τοῦ μύθου τριχῇ διειλόμεν ψυχὴν ἑκάστην, ἱππομόρφω μὲν δύο τινὲ εἴδη, ἡνιοχικὸν δὲ εἶδος τρίτον.... [253 C.

quibus verbis allegoriam illam nihil nisi mythi universi partem esse satis declaravit. Imaginem vero eam auctor vocat, nam in initio ejus hæc legimus :

... ᾧ δὲ ἔοικεν (ἡ ψυχή)... Ἐοικέτω δή... [246 A.

ita ut εἰκών Græce jure nominetur. Eamdem imaginem (cap. XXV [246 A — D] expositam) in mythi tenore sæpius repetit, et præsertim in cap. XXXIV amplificat, ubi utriusque equi naturam et mores fuse describit [253 D — 254 B]. Tum in cap. XXXV equorum et aurigæ certamen poeticis verbis, epico quasi œstro correptus, Socrates narrat [254 B — E], ita ut manifestum fiat, imaginem animæ et mythicam Amoris descriptionem penitus cohærere, et ad unum mythum pertinere.

Præterea, certam inter mythos et allegorias distinctionem invenire non est, cum in mytho Phœnicio, novissime citato, diversæ animarum naturæ totidem metallis *allegorice* assimulentur, ita ut nullum e Platonis sententia discrimen inter allegorias et mythos fuisse appareat.

Aliam animæ imaginem, neque omnino dissimilem, Plato in *Legibus* protulit, quo facilius virtutem definiat; quam imaginem his verbis inducit :

Σαφέστερον ἔτι τοίνυν ἀναλάβωμεν τοῦτ' αὐτὸ ὅ τί ποτε λέγομεν · καί μοι δι' εἰκόνος ἀποδέξασθε.... [644 BC.

1. In hoc loco a Deuschlei sententia discedimus, qui mythos ab allegoriis summa cura secernendos esse arbitratus est, et diversa ratione interpretandos : quam distinctionem res ipsa ægre pati nobis videtur.

Tum unumquemque nostrum Atheniensis hospes fingit :

Δύο... κεκτημένον ἐν αὑτῷ ξυμβούλω ἐναντίω τε καὶ ἄφρονε, ὣ προσαγορεύομεν ἡδονὴν καὶ λύπην. |644 C.

Hic animadvertendum est voluptatem et dolorem, scilicet unius animæ affectus, personas induere et homines quodammodo fieri; quæ allegoriarum omnium ratio universa est. Cum vero senes ambo abstractas mentis species parum intellegant (dicit enim Clinias :

Μόγις μέν πως ἐφέπομαι.... |644 D.

et Megillus annuit), hospes imaginem quasi crassiorem proponit :

Θαῦμα μὲν ἕκαστον ἡμῶν ἡγησώμεθα τῶν ζώων θεῖον, εἴτε ὡς παίγνιον ἐκείνων, εἴτε ὡς σπουδῇ τινὶ ξυνεστηκός. |644 D.

Hominem scilicet ludicro νευροσπάστῳ assimulat, quod variis affectibus, velut funiculis, huc illuc movetur et trahitur :

... ταῦτα τὰ πάθη ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι σπῶσί τε ἡμᾶς καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν.... |644 E.

Mox etiam materiam et colorem habenis illis auctor tribuit :

... ταύτην δ' εἶναι τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱεράν.... |645 A.

ubi, sicut in Phœnicio *Reipublicæ* mytho, optimum quodque genus *aureum* esse allegorice dicitur. Figuram vero Atheniensis hospes persequitur :

ἄλλας δὲ σκληρὰς καὶ σιδηρᾶς, τὴν δὲ μαλακὴν ἅτε χρυσῆν οὖσαν....

et ex ea præceptum morale colligit, scilicet curandum esse

ὅπως ἂν ἡμῖν τὸ χρυσοῦν γένος νικᾷ τὰ ἄλλα γένη. |*Ibid.*

quibus verbis Phœnicium quoque mythum concludere Plato potuisset, cum utrinque id ipsum aureum effinxerit, quod cetera vincere et in summa præcellere debet.

Denique allegoriam his verbis valde notandis absolvit :

Οὕτω δὴ περὶ θαυμάτων ὡς ὄντων ἡμῶν ὁ μῦθος ἀρετῆς σεσωσμένος ἂν εἴη.... |645 B.

nam *mythum* Plato ipse vocat imaginem illam, qua allegorice significavit, quid sit virtus, rationi scilicet parere :

καὶ τὸ κρείττω ἑαυτοῦ καὶ ἥττω εἶναι τρόπον τινὰ φανερὸν ἂν γίγνοιτο μᾶλλον ὃ νοεῖ.... [*Ibid.*

Unde etiam atque etiam inferre licet, inter mythos et allegorias, e Platonis sententia, nihil prorsus interesse.

In *Republica* aliam animæ imaginem reperimus, quæ cum *Phædri* allegoria magis congruit, quippe in qua eædem tres animæ partes mythice secernantur. Sic vero a Socrate inducitur :

Εἰκόνα πλάσαντες τῆς ψυχῆς λόγῳ.... [588 B.

quam statim poetarum fabulis assimulat :

Τῶν τοιούτων τινά... οἷαι μυθολογοῦνται παλαιαὶ γενέσθαι φύσεις, ἥ τε Χιμαίρας καὶ ἡ Σκύλλης καὶ Κερβέρου.... [588 C.

ita ut omnes mythi notas hæc allegoria præ se ferat.

Monstra vero illa mythica Plato imitatur, ut animæ naturam per figuras exprimat :

Πλάττε τοίνυν μίαν μὲν ἰδέαν θηρίου ποικίλου καὶ πολυκεφάλου....

Tum Glauco subridens Socrati jocanti respondet :

Δεινοῦ πλάστου... τὸ ἔργον · ὅμως δέ, ἐπειδὴ εὐπλαστότερον κηροῦ καὶ τῶν τοιούτων λόγος, πεπλάσθω. [588 CD.

Sæpe enim oratio mythica statuæ cuidam cereæ comparatur, sicut jam in *Legibus* animadvertimus :

πλάττων καθάπερ ἐκ κηροῦ τινὰ πόλιν καὶ πολίτας. [746 A.
Cf. : πλάττειν τῷ λόγῳ τοὺς νόμους. [712 B.

quæ verba jamjam denuntiant *Leges* ipsas nihil præter magnum mythum esse. Nam in hoc *Reipublicæ* loco, mythicam esse istam animæ humanæ figuram minime dubium est. Quæ vero plane perspicua est : monstrum scilicet primum ἐπιθυμίαν, leo autem θυμόν, homo denique νοῦν aperte significant, quæ tria in unam hominis speciem conflata totam animæ imaginem efficiunt; reliqua fabula facillime intellegitur. Hoc vero unum maxime notandum censeo, hanc allegoriam nihil nisi mythum inchoatum esse, et quidem *Phædri* mytho simillimum.

Majorem animæ imaginem Civitas ipsa exhibet, ita ut *Respublica* tota mythica sit : quod multis indiciis demonstrare licet. Sicut enim in allegoria novissime citata tribus animalibus, ita in Civitate tribus civium classibus tres animi partes significantur :

τὰ αὐτὰ μὲν ἐν πόλει, τὰ αὐτὰ δ' ἐν ἑνὸς ἑκάστου τῇ ψυχῇ γένη ἐνεῖναι καὶ ἴσα τὸν ἀριθμόν. [441 C.

Quam analogiam Plato ipse in *Legibus* expressis verbis exposuit : ubi scilicet τὸ ἐπιθυμητικόν sic allegorice vocat :

τὸ πλῆθος τῆς ψυχῆς. [689 AB.

quam metaphoram statim his verbis explanat :

τὸ γὰρ λυπούμενον καὶ ἡδόμενον αὐτῆς ὅπερ δῆμός τε καὶ πλῆθος πόλεώς ἐστιν. [*Ibid.*

Hic proportione fere geometrica Plato, sicut alias, utitur : hanc igitur similitudinem jure *analogiam* nuncupavimus.

Analogiam eamdem in *Republica* fuse persecutus est, ita ut dialogus hic totus ingens allegoria esse videatur : Civitas enim nihil aliud quam animæ humanæ figura est; civitatumque species et formæ hominis cujusque indolem et mores referunt. Tale vero Platonis in *Republica* componenda consilium fuisse, auctor ipse aperte monuit, et operis prooemium satis denuntiat. Nam cum dialogus totus hoc unum probaturus sit, justitiam injustitia meliorem esse [368 B] et per se bonam, quin summum bonum esse (quod *Gorgiæ* quoque argumentum est), Socrates, se et comites res parum acute cernentes fingens, litterarum exemplo monstrat, cum in magnis typis facilius quam in parvis eadem verba legi posse dicat, itaque legenda esse [368 D], justitiam vero in homine atque in civitate eamdem esse, quapropter, cum civitas homine sit major, in civitate potius quærendum esse, quid sit justitia : nam, quæ in magno civitatis exemplari dispiciantur, eadem in humana anima reperiri posse, vel in eam transferri :

τὴν τοῦ μείζονος ὁμοιότητα ἐν τῇ τοῦ ἐλάττονος ἰδέᾳ ἐπισκοποῦντες. [369 A [1].

1. Cf. : Τὴν ὁμοιότητα ἀναμιμνησκόμενος τῆς τε πόλεως καὶ τοῦ ἀνδρός. [577 C.

ita ut eadem sit civitatis et hominis virtus :

ὅ τι πόλις πρὸς πόλιν ἀρετῇ καὶ εὐδαιμονίᾳ, τοῦτο καὶ ἀνὴρ πρὸς ἄνδρα. [576 C.

Quibus verbis Plato *Reipublicæ* consilium patefecit : civitatis ideam excogitavit, non tam ut reipublicæ veræ leges præscriberet (quod in *Legibus* postea sibi proposuit) quam ut animæ humanæ mores et vitia per allegoriam definiret :

Οὐκοῦν... πρῶτον μὲν τόδε χρὴ ἀναμνησθῆναι, ὅτι ἡμεῖς ζητοῦντες δικαιοσύνην οἷόν ἐστι καὶ ἀδικίαν δεῦρο ἥκομεν. [472 B.

Παραδείγματος ἄρα ἕνεκα... ἐζητοῦμεν αὐτό τε δικαιοσύνην οἷόν ἐστι.... [472 C.

Non igitur animam civitatis, verum contra civitatem animæ imaginem considerare solet; quapropter animam hominis cujusque velut civitatem illi insitam sæpe nuncupat :

ἕως ἂν ἐν αὐτοῖς ὥσπερ ἐν πόλει πολιτείαν καταστήσωμεν. [591 A.

ἀποβλέπων... πρὸς τὴν ἐν αὐτῷ πολιτείαν.... [591 E.

περὶ τῆς ἐν αὐτῷ πολιτείας δεδιότι.... [608 B.

κακὴν πολιτείαν ἰδίᾳ ἑκάστου τῇ ψυχῇ ἐμποιεῖν. [605 B.

Itaque *Respublica* tota nihil nisi magna et mera allegoria esse videtur, quod etiam ex indiciis multis concludere licet, quæ mythum plane denuntiant.

Primo enim animadvertimus, dialogum hunc festo Minervæ die habitum esse :

προσευξόμενός τε τῇ θεῷ καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι.... [327 A.

quod semper, sicut in *Timæi* initio, mythum quemdam nuntiat : ibi enim expressis verbis fabulam de Atlantide a Critia narratam cum deæ sacris apte convenire Socrates dicit :

Καὶ τίν' ἂν [λόγον]... μᾶλλον ἀντὶ τούτου μεταλάβοιμεν, ὃς τῇ τε παρούσῃ τῆς θεοῦ θυσίᾳ διὰ τὴν οἰκειότητ' ἂν πρέποι μάλιστα.... [*Tim.* 26 E.

Postea civitatem quam ipse mente effinxit Socrates *somnium* vocat :

Τέλεον ἄρα ἡμῖν τὸ ἐνύπνιον ἀποτετέλεσται, ὃ ἔφαμεν ὑποπτεῦσαι,

ὡς εὐθὺς ἀρχόμενοι τῆς πόλεως οἰκίζειν κατὰ θεόν τινα εἰς ἀρχήν τε καὶ τύπον τινὰ τῆς δικαιοσύνης κινδυνεύομεν ἐμβεβηκέναι.
[*Resp.* 443 BC.

Verbum autem ἐνύπνιον, sicut ὄναρ quoque [*Leg.* 746 A, 969 B] mythum sæpe significat, quippe qui semper a deo quodam procedere videatur. Alia quoque verba civitatem fictionem vel ludum esse demonstrant :

τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν [πόλιν]. [420 C.
Ἐπελαθόμην... ὅτι ἐπαίζομεν.... [536 BC.

Præterea, auctor ipse *Rempublicam* suam mythum haud semel vocavit :

ὥσπερ ἐν μύθῳ μυθολογοῦντές τε καὶ σχολὴν ἄγοντες λόγῳ παιδεύωμεν τοὺς ἄνδρας. [376 D.
ἡ πολιτεία, ἣν μυθολογοῦμεν λόγῳ. [501 E.

etiam in *Timæi* exordio :

τὴν πόλιν, ἣν χθὲς ἡμῖν ὡς ἐν μύθῳ διῄεισθα σύ. [*Tim.* 26 C

Iterato igitur Platonis testimonio nemo repugnare audeat, neque dubitare possit, quin *Respublica* tota, ex ipsius auctoris sententia, mythica sit.

Quamvis *Respublica* magna allegoria sit, alias minores similitudines amplectitur, quarum nonnullas jam memoravimus. Inter reliquas una præcipue notanda est, quia consilium retegit, quo Plato Socratem *confabulantem* induxit, cum contra Socrates fabulis minime studuerit (quod ex *Phædone* [61 B] jam constat). Hic etiam, cum Socrates Adimanto interroganti dixerit :

Ἐρωτᾷς... ἐρώτημα δεόμενον ἀποκρίσεως δι' εἰκόνος λεγομένης....

Adimantus respondet :

Σὺ δέ γε... οὐκ εἴωθας δι' εἰκόνων λέγειν. [487 E.

Nihilominus Socrates jocans sic pergit :

ἄκουε δ' οὖν τῆς εἰκόνος, ἵν' ἔτι μᾶλλον ἴδῃς, ὡς γλίσχρως εἰκάζω.
[488 A.

Imago vero quam statim proponit mythica dicitur, nam paulo infra ambo verba conjuncta legimus :

εἰκάζοντα καὶ ἀπολογούμενον. [*Ibid.*

Qua ratione auctor allegorias illas componat, ipse statim declarat [cf. 588 C, *loc. supra cit.*] :

οἷον οἱ γραφεῖς τραγελάφους καὶ τὰ τοιαῦτα μιγνύντες γράφουσι.

Tum civitatem popularem navi male gubernatæ æquiparat; itaque, cum civitas animæ imago sit, navis rursus civitatis imago est.

Notissima autem illa *Reipublicæ* allegoria, quæ Specus vocatur, non jam animæ, verum scientiæ similitudinibus adnumeranda est. Quam auctor *imaginem* haud semel nominat :

Ἄτοπον... λέγεις εἰκόνα.... [515 A.
Ταύτην τοίνυν... τὴν εἰκόνα... προσαπτέον ἅπασαν τοῖς ἔμπροσθεν λεγομένοις.... [517 AB

et statim ipse interpretatur, simulque rationem aperit, qua omnes ejus modi imagines composuit. Nam mundum intelligibilem, hoc est Ideas, per mundum visibilem, id est corpora, et rursus corpora per umbras et vanas speculorum imagines exprimit. Quapropter sol, qui inter corpora præstantissimus est, Ideæ summæ imago fit :

Τελευταῖον δή... τὸν ἥλιον. [516 B.
ἐν τῷ γνωστῷ τελευταία ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα. [517 B.

Quam similitudinem, solis scilicet et Ideæ boni, jam antea Plato in *Republica* protulit : nam cum ad summam Ideam pervenit Socrates, eam definire supersedet et imaginem adhibet :

ἀλλ'... αὐτὸ μὲν τί ποτ' ἐστὶ τἀγαθόν, ἐάσωμεν τὸ νῦν εἶναι... ὃς δὲ ἔκγονός τε τοῦ ἀγαθοῦ φαίνεται καὶ ὁμοιότατος ἐκείνῳ, λέγειν ἐθέλω....
[506 DE.

Quis vero sit ille Boni filius mox declarat :

Τοῦτον [scil. τὸν ἥλιον] τοίνυν... φάναι με λέγειν τὸν τοῦ ἀγαθοῦ

ἔκγονον, ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ, ὅ τι περ αὐτὸ ἐν τῷ νοητῷ τόπῳ πρός τε νοῦν καὶ τὰ νοούμενα, τοῦτο τοῦτον ἐν τῷ ὁρατῷ πρός τε ὄψιν καὶ τὰ ὁρώμενα. [508 BC.

Hic Plato *analogia* fere mathematica utitur, ut in allegoriis solet. Hanc autem postea *imaginem* et *similitudinem* vocat :

ἀλλ' ὧδε μᾶλλον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἔτι ἐπισκόπει. [509 B.
τὴν περὶ τὸν ἥλιον ὁμοιότητα. [509 C.

Hæc igitur imago allegoriam Specus quodammodo inducit, et cum ea apte congruit.

Eamdem præterea solis vel luminis figuram ad Ideas exprimendas in aliis locis auctor usurpavit :

Ὁ δέ γε φιλόσοφος, τῇ τοῦ ὄντος ἀεὶ διὰ λογισμῶν προσκείμενος ἰδέᾳ, διὰ τὸ λαμπρὸν αὖ τῆς χώρας οὐδαμῶς εὐπετὴς ὀφθῆναι.... [*Soph.* 254 A.

Hic vero animadvertendum est, summam Ideam non boni, verum entis ideam esse, quod cum mythica *Reipublicæ* natura plane convenit.

Aliam celeberrimam allegoriam in *Theæteto* reperimus, quam Plato a Socrate accepisse videtur : nam Socrates se ipsum obstetricibus similem esse per jocum profitetur, artemque suam obstetriciæ æquiparat [149 A, 150 A, B]. Sed maxime animadvertendum est, Socratem deo cuidam sterilitatem suam imputare :

μαιεύεσθαί με ὁ θεὸς ἀναγκάζει, γεννᾶν δὲ ἀπεκώλυσεν. [150 C.

Quam similitudinem fuse persequitur, eique postea sæpius alludit [151 B, E, 157 C, D].

In eodem dialogo duas animæ vel potius scientiæ imagines invenimus; cujus prior sic inducitur :

Θὲς δή μοι λόγου ἕνεκα ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ἐνὸν κήρινον ἐκμαγεῖον.... [191 C.

Notanda autem præcipue quæ sequuntur :

Δῶρον τοίνυν αὐτὸ φῶμεν εἶναι τῆς τῶν Μουσῶν μητρὸς Μνημοσύνης.... [191 D.

quia in hoc loco deprehendimus, qua ratione Plato deos in mythis arcessere soleat : nam cum memoriam allegorice per ceram illam expresserit, eamdem poetarum more deam esse fingit, quæ nobis hanc ceram dederit. Patet præterea Mnemosynen deam nihil aliud quam memoriæ (μνημοσύνης) mythicam figuram et quasi personam esse [cf. *Crit.* 108 D].

Altera memoriæ allegoria sic incipit :

Πάλιν δή, ὥσπερ ἐν τοῖς πρόσθεν κήρινόν τι ἐν ταῖς ψυχαῖς κατεσκευάζομεν οὐκ οἶδ' ὅτι πλάσμα, νῦν αὖ ἐν ἑκάστῃ ψυχῇ ποιήσωμεν περιστερεῶνά τινα παντοδαπῶν ὀρνίθων.... [197 D.

Hic memoria columbario assimulatur, quo planius intellegatur, quomodo quis scientiam eamdem habere et non habere, id est possidere et non tenere queat.

Similem prioribus animæ imaginem in *Philebo* quoque offendimus :

Δοκεῖ τότε ἡμῶν ἡ ψυχὴ βιβλίῳ τινὶ προσεοικέναι. [38 E.

In hoc libro memoria scribere dicitur; mox vero scriba (γραμματεύς) fit, cui paulo post pictor adjungitur :

Ἀποδέχου δὴ καὶ ἕτερον δημιουργόν... ζωγράφον, ὃς μετὰ τὸν γραμματιστὴν τῶν λεγομένων εἰκόνας ἐν τῇ ψυχῇ τούτων γράφει. [39 B.

ita ut memoria triplici figura exprimatur, scribæ et pictoris scilicet, et libelli in quo ambo τὰ γράμματά τε καὶ ζωγραφήματα [39 D] scribunt.

Alias ejus modi allegorias in *Gorgia* invenimus; animæ enim partem, cui cupiditates insunt, dolio Socrates assimulat, verba cavillans :

Καὶ τοῦτο [scil. τὸ επιθυμητικὸν] ἄρα τις μυθολογῶν κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελός τις ἢ Ἰταλικός, παράγων τῷ ὀνόματι διὰ τὸ πιθανόν τε καὶ πειστικὸν ὠνόμασε πίθον, τοὺς δὲ ἀνοήτους ἀμυήτους. [493 A.

Quam similitudinem, Danaidum fabulæ propinquam, mox quasi duplicat :

καὶ φοροῖεν εἰς τὸν τετρημένον πίθον ὕδωρ ἑτέρῳ τοιούτῳ τετρημένῳ κοσκίνῳ · τὸ δὲ κόσκινον ἄρα λέγει.... τὴν ψυχὴν εἶναι. [493 B.

Hoc vero præsertim notandum est, allegorias istas simul a Platone *imagines* (ἀπεικάσας, απείκασε) et *mythos* (μυθολογῶν) vocari : nam infra hæc dicit :

ἂν ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα μυθολογῶ.... [493 D.

et statim aliam similitudinem his verbis subjungit :

Φέρε δή, ἄλλην σοι εἰκόνα λέγω ἐκ τοῦ αὐτοῦ γυμνασίου τῇ νῦν.

quod etiam atque etiam probat, nullum ex auctoris sententia inter mythos et allegorias discrimen interesse. Tum animas iterum doliis, sanas autem sanis, intemperantes vero putribus, æquiparat.

In *Menone* ejusdem modi imaginem Socrates usurpat, ut monstret, quantum opinio et scientia inter se differant : opiniones enim meras Dædaleis signis confert, quæ statim fugiunt, nisi validis rationis vinculis alligantur [97 DE].

Allegoriam animæ tantum inchoatam in *Republica* invenimus [611 CD], ubi anima deo marino Glauco comparatur, cujus vera forma squalore et varia concretione corrupta et celata est : ita vera et antiqua animæ natura multis malis offuscatur.

Denique in *Phædone* duæ nobiles animæ imagines reperiuntur, quibus Simmias et Cebes utuntur, quo argumento sua magis perspicua faciant : Simmias animam corporis harmoniam esse contendit, ideoque harmoniæ lyræ comparat, quæ cum lyra perit [85 E — 86 D]. Cebes rursus animam textori assimulat, qui multa pallia in vita contrivit, sed ultimo tamen pallio prior interit [87].

Hoc vero maxime notandum est, omnes fere allegorias, quas enumeravimus, aut animam exprimere aut circa animam versari : quod postea explanabimus.

CAPUT QUINTUM

MYTHICORUM INSIGNIUM RECENSIO

Nunc demum præcipuas mythorum notas et communia signa colligere oportet, quo mythorum naturam et speciem melius perspiciamus.

I. Dii in mythorum prooemio vel in ipso tenore sæpe invocantur [*Phædr*. 237 A, *Tim*. 27 C, 48 D, *Crit*. 108 CD, *Leg*. 712 B] vel etiam mytho enarrato et quasi fabula peracta [*Phædr*. 257 B, 279 BC; *Crit*. 106 A], quas invocationes parum pias, immo jocosas esse in *Euthydemo* [275 D] manifesto deprehendimus : hic enim Socrates, sophistarum colloquia et ineptias relaturus, Musas et Memoriam [cf. *Crit*. 108 D] « poetarum more » ironice invocat.

Quin etiam res inanimas vel abstractas per ludibrium Plato tanquam deos precatur aut invocat [*Phædr*. 261 A, *Phil*. 63 B; cf. 61 B].

Diis quoque mythi ipsi nonnunquam quasi consecrantur [*Resp*. 327 A, *Tim*. 21 A, 23 D, 26 E, *Phædr*. 257 A, 265 C]; omnes denique mythicæ *Convivii* orationes Amori dedicantur.

II. Propterea mythi precibus aut oraculis similes dicuntur [*Phædr*. 275 B, *Leg*. 738 BC, 712 A, 841 C; *Resp*. 450 D, 456 C] quod valde mirandum est, utpote mythi in mendaciis et nugis plerumque versentur.

III. Mysteriis quoque mythi assimulantur, aut e mysteriis quibusdam deprompti dicuntur [*Conv*. 209 E, 210 A; *Phædr*. 249 C, 250 B; *Phæd*. 108 A; *Leg*. 870 D; cf. 865 D, 881 A, 913 C.]

Ideo mythi sacerdotibus vel etiam senibus sæpe addicuntur [*Tim.* 22 A, B, 23 B, E, 27 B; *Leg.* 872 D].

IV. Quin etiam dii ipsi mythorum auctores jactantur [*Phædr.* 241 E, 262 D, 263 D; *Leg.* 811 C]. Alias Plato mythicas orationes deorum instinctu proferri (haud sine ironia) asserit, diisque, ficta pietate, mythorum curam et quasi ductum permittit [*Phædr.* 238 D, 246 D, 266 B; *Resp.* 517 B, *Tim.* 53 D, 55 D, *Leg.* 913 D].

V. Cum vero poemata mysteriis et oraculis proxima sint (ut ex *Prot.* [316 D] elucet), haud sane mirum est, mythos plerosque poetico colore nitere, quod Plato ipse interdum animadvertit [*Phædr.* 238 D, 241 E, 247 C, 257 A, 265 C; *Conv.* 177 A, C, 195 D, 212 C].

Magis autem mirandum est, mythos quosdam, qui nullam fere poeticam virtutem habent, *hymnos* ab auctore nominari [*Tim.* 21 A, 29 D; *Crit.* 108 C; *Leg.* 811 C].

Quin etiam mythus Phœnicius, quem haud dubio Plato ipse ad Hesiodi exemplar totum finxit [*Resp.* 547 A], poetis quibusdam ignotis addicitur [*Resp.* 414 C].

VI. Præterea vera quoque poetarum verba in mythis sæpissime referuntur, maxime Homeri [*Gorg.* 523 A, 525 D, 526 D; *Phæd.* 112 A; *Conv.* 195 D], sed etiam aliorum poetarum : Homeridarum scilicet versus [*Phædr.* 252 B], Hesiodi *Theogonia* una cum Parmenidis Γενέσει [*Conv.* 178 B], Æschyli *Telephus* [*Phæd.* 107 E], Euripidis *Melanippe* [*Conv.* 177 A], multique alii poetæ in plurimis similibus locis citantur [*Conv.* 197 C].

VII. Ad poeticam simul ac religiosam mythorum naturam multæ προσωποποιίαι referendæ sunt, quas in mythis invenimus : Plato enim, utpote poeta, rebus abstractis merisque animi conceptibus quasi personas induere, easque in scenam velut homines viventes et agentes producere solet; quin etiam personas illas inanes tanquam deos precatur [cf. I]. Ita Mnemosynes, hoc est Memoriæ deæ factæ, nomen allegorice usurpatur [*Theæt.* 191 D; *Crit.* 108 D].

Haud aliter Justitia Pudorque dearum locum obtinent [*Prot.* 322 C; *Leg.* 943 E, 716 A, 717 D] quæ, sicut Nemesis [*in loc. novissime cit.*] ab antiquis poetis, Hesiodo præsertim, ex abstractis humanæ mentis virtutibus conflatæ erant. Vitia quoque in *Republica* [560 E] personas humanas induunt.

Γενεαλογίας etiam mythicas Plato usurpat, et quidem allegorico sensu, quo nequaquam profecto antea præditæ erant : ita, admirationem scientiæ initium et quasi matrem esse confirmaturus, sententiam suam allegorice sic profert :

... καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. [*Theæt.* 155 D.

Simili ratione Necessitatem deam in *Reipublicæ* mytho memorat, et θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης Μοίρας. [*Resp.* 617 C.

Præter illa jam vulgata numina, nova ab auctore creantur, in primis Poros et Penia, ficti Amoris parentes, quorum nomina ipsa allegoriam satis denuntiant [*Conv.* 203 B].

Aliæ allegoricæ personæ in mythicis locis aut dialogis inveniuntur; exempli gratia :

Μυθολογία... Ἀναζήτησίς τε τῶν παλαιῶν μετὰ Σχολῆς....
[*Crit.* 110 A.

In *Philebo* voluptatem Socrates Venerem ac deam allegorice vocat, cum tamen « verissimum ejus nomen » sit « voluptas » [12 B]. Nihilominus statim maximam erga deos formidinem et pietatem simulat [12 C], et postea voluptates sicut deas solemnibus verbis precatur [63 B; cf. *Crat.* 400 E].

Simili ratione Socrates, postquam Simmiæ Thebani opinionem de anima, quæ corporis harmonia Pythagoræorum exemplo ab eo cogitatur, refellit, per jocum hæc addit :

Τὰ μὲν Ἁρμονίας ἡμῖν τῆς Θηβαϊκῆς ἵλεά πως, ὡς ἔοικε, μετρίως γέγονεν. [*Phæd.* 95 A.

quibus verbis se Simmiæ argumentum, tanquam deam quam Harmoniam vocat, exoravisse confidit.

Alias quoque orationes vel rationes quasdam sine nomine poeticis verbis Socrates invocare videtur [*Phædr.* 261 A].

VIII. Nil igitur mirum, si mythi ipsi quodam modo animantur et pro vivis hominibus habentur. Præterea mos ille antiquitus traditus erat : quicumque enim fabulas narrabant, easdem

statim absolutas periisse dicere solebant [*Schol. ad Remp.* 621 B]. Quapropter clausulam illam perusitatam Plato per jocum imitatur [*Theæt.* 164 D, *Phil.* 14 A].

Nonnunquam contra mythum non periisse, sed salvum esse asserit [*Resp.* 621 B; *Tim.* 68 D; *Leg.* 645 B].

Plerumque mythus animali cuidam assimulatur, quod sine capite vivere et ambulare nequit; ideoque vulgo credebatur, nefas esse, mythum imperfectum relinquere [*Gorg.* 505 D, *Tim.* 69 B, *Leg.* 752 A].

In *Phædro* quoque Socrates de mytho enarrato tanquam de partu quodam loquitur [241 E], quem deserit et fortunæ committit.

IX. Cum in mythis nomina facillime numina fiunt [*vide supra*, VII], tum in iisdem Plato sæpissime verba cavillatur, ut ex *Theæteto* [155 D] jam comperimus. Multa ejus generis in mythicis præcipue locis Plato ludificatur.

Plerumque vocabulorum similitudine utitur et abutitur : ita confert voces : κηρός et κέαρ [*Theæt.* 194 C, E];

Προμηθεύς et προμηθούμενος [*Prot.* 361 D];
σῶμα et σῆμα [*Crat.* 400 B, *Gorg.* 493 A; cf. *Phædr.* 250 C];
πιθανόν, πειστικόν et πίθον, ἀνοήτους et ἀμυήτους [*Gorg.* 493 A];
Ἅιδης et ἀειδές [*Gorg.* 493 B];
Παυσανίου παυσαμένου [*Conv.* 185 C];
Τυφών, ἐπιτύφω et ἄτυφος [*Phædr.* 230 A];
Ἔρωτα et Πτέρωτα [*Phædr.* 252 C];
Ἀλκίνου et ἀλκίμου [*Resp.* 614 B];
ἄπειρος (infinitus) et ἄπειρος (imperitus) [*Tim.* 55 CD];
νοῦς et νόμος [*Leg.* 957 C].

Alibi etymologias insolentes, plerasque facetas et ridiculas, sicut in *Cratylo* maxime, in mythis quoque lepidus auctor proponere solet; ita voces explicare conatur : ἔρως [*Phædr.* 238 C; cf. *Crat.* 420 A, B]; μαντική per μανική et οἰωνιστική per οἰονοιστική [*Phædr.* 244 C, D].

X. Denique, ut ex istis cavillationibus et ceteris argutiis nugisque, quibus mythi referti sunt, jamjam apparet, mythi omnes ludi vel joci esse videntur, et revera quodammodo sunt,

quod auctor ipse haud semel profitetur [*Phædr.* 265 C, 278 B; *Conv.* 197 E; *Pol.* 268 D; *Tim.* 59 D; *Leg.* 685 A, 769 A].

Itaque maxime est cavendum, ne talibus fabulis decipiamur et deludamur, et potius diffidendum est, aliquid veri aut serii, uno verbo didactici in illis inveniri posse; nedum meram ac puram Platonis doctrinam contineant.

Ut summam hujus libri breviter contraham, mythi quos Plato composuit eamdem omnino naturam et speciem præbent, quam ipse ceterorum, id est veterum poetarum aut sacerdotum, mythis tribuere solet, ut in *Introductione* exposuimus : scilicet mythi nihil aliud quam antiquæ, poeticæ, religiosæ fabulæ sunt, quæ falsa pro veris exhibent. Unde facile concludere licet, Platonicos quoque mythos mendaces esse et fallaces.

LIBER SECUNDUS

MYTHORUM INTERPRETATIO

CAPUT PRIMUM

DE MYTHORUM AUCTORITATE

Priusquam mythorum interpretationem aggrediamur, necesse est quærere, quanta fides, secundum Platonem ipsum, mythis habenda sit. Si verba quidem auctoris accipimus, maxima poetarum et sacerdotum, quibus mythos suos adscribere solet, auctoritas erit. Homeri enim sapientiam extollere videtur [*Theæt.* 194 E], necnon ceterorum poetarum, quippe qui omnes deorum filii sint [*Resp.* 366 B], ita ut divino instinctu ducti veritatem attignant [*Leg.* 682 A].

Antiqui quoque universi sapientes feruntur, utpote diis proximi [*Phil.* 16 C, *Pol.* 271 AB]. Quin etiam omnes prisci philosophi, qui doctrinas suas carmine condiderunt, una cum poetis summa reverentia appellantur [*Theæt.* 152 E], maximaque Homeri testimonio auctoritas tribuitur [*Theæt.* 153 A].

Verumtamen hoc maxime animadvertendum est, veteres illos poetas sententiam suam, secundum Platonem, abscondisse et per figuras tantum expressisse, ita ut ænigmata nobis proponere videantur [*Theæt.* 180 CD, *Resp.* 332 C], quapropter omnes priorum philosophorum doctrinæ *mythorum* nomen obtinent [*Soph.* 242 C—E].

Sæpe autem Plato placita propria poetis illis affingit, ideoque eos per ambages locutos esse asserit [*Theæt.* 194 C, *Leg.* 800 A]

et secretam vel, ut aiunt, *esotericam* doctrinam illis imputat, quo facilius et liberius eorum opiniones interpretetur, easque doctrinæ suæ accommodare queat [*Theæt.* 152 C, *Resp.* 332 C].

Quid vero poetarum et sacerdotum sententiæ aut testimonia valeant, lectori cauto et prudenti mox apparet. Veritatem a priscis hominibus plane cognitam esse non nisi ironice asseritur, quod ex locis quibusdam satis elucet [*Phædr.* 274 C, *Tim.* 20 D], cum contra fabularum istarum, quas per jocum pristinis hominibus addicit, Plato auctor sit, ut ipse nonnunquam lepide confitetur [*Phædr.* 275 B], et alibi ex re ipsa patet.

Haud igitur auctori callido et fallaci nimis credendum est, cum mythorum a se fictorum veritatem maxime serio affirmare videatur [*Phædr.* 247 C; *Tim.* 21 A, DE, 26 D, E; *Gorg.* 523 A, 524 A, 526 D; *Conv.* 212 B; *Phæd.* 108 C, 108 E, 109 A; *Pol.* 271 B]. Nam quid Plato de poetis universis revera senserit satis notum est, poetas scilicet mendaces esse [*Men.* 99 C, D; *Crat.* 408 C, *Resp.* 377 D, et passim; *Leg.* 719 C : cf. *Ionem* totum], ut poetica mythorum origo aut natura fiduciæ nostræ eos minime commendet. Nec poetarum solum, verum etiam deorum ipsorum, a quibus inspirantur, auctoritas lubrica est, nosque potius diffidere suadet. Magnopere igitur cavendum est, ne ab auctore defellamur, cum pro veris ducere videatur ea ipsa quæ falsa et commenticia manifesto sunt [*Phæd.* 109 E, 110 A; *Resp.* 414 D]; nam quæcumque intra mythi fines maxima gravitate proferuntur, eadem maxime mythica sunt[1].

Præterea novimus, quam parvi Plato eos faciat, quicumque in disputationibus poetarum testimoniis utuntur et versus pro argumentis afferunt [*Prot.* 347 C]; quæ disputandi methodus, cum semper vana et futilis sit (cf. Phædri et Agathonis orationes in *Conv.*), tum maxime a sophistis ad deterrimas causas et turpissimas opiniones tuendas usurpatur [*Gorg.* 484; *Resp.* 363-365], ita ut poetæ veritatis et morum pessimi magistri esse

1. Optime ALBERTUS FISCHERUS (*De mythis Platonicis*, p. 35) scripsit : « Talia... verba... non severe esse dicta, sed tantum in more loquendi posita esse eorum, qui fabulas enarrare soleant, ex re ipsa elucet. »

videantur. Non nisi per jocum, et in mythicis quidem locis, Plato eadem methodo interdum uti potuit, et tantum quia ejusmodi lusus serii sermonis et severæ disputationis remissiones sunt [*Phil.* 30 E]. Præterea, quam parvi mythos etiam suos Plato faciat, haud ambigue ipse declarat [*Pol.* 272 C].

Haud igitur injuria Socrates Phædrum, fabularum poeticarum curiosum, increpat, quia potius de auctore dicti cujusque quam de ipsa veritate sollicitus est [*Phædr.* 275 C]. Jam antea studium istud infelix et sterile vituperavit [229 D]. Eodem loco, fabulas de diis vulgatas absurdas reputat [229 C] easque adeo contemnit, ut « physiologis » et sophistis interpretandas eas relinquat [229 E], quia nugæ tales philosophum minime decent, qui « se ipsum cognoscere » conatur. Itaque Plato ejusmodi interpretationes (scilicet naturales) simul probat et ut hominis serii indignas despicit, vulgarem et rusticam istam sapientiam esse arbitratus [*Phædr.* 229 E].

Utique poeticos et divinos mythos pro falsis habet, et allegorice intellegi saltem posse (nisi intellegendos esse) profitetur, quamvis sensus reconditus puerorum mentem fugiat [*Resp.* 378 D]. Priscorum quoque hominum simplicitatem vel potius stultitiam irridet, quod, velut pueri (omnes enim pristinæ gentes pueriles sunt), traditas de diis fabulas ad litteram acciperent, neque in eis allegorice interpretandis callerent [*Leg.* 679 C].

Neque tamen mythos totos omnino falsos esse putandum est; nam aliquid veri quoque in illis latere auctor nos monet :

> τοῦτο [scil. οἱ μῦθοι] δέ που ὡς τὸ ὅλον εἰπεῖν ψεῦδος, ἔνι δὲ καὶ ἀληθῆ. [*Resp.* 377 A.

Quomodo autem veritas et mendacium in his misceantur, magni refert recte perspicere. Non enim mythi cujusque pars altera vera, altera falsa est, ita ut verum et falsum extrinsecus jungantur et juxta ponantur; sed totus mythus falsus, et simul quodammodo verus est; quam mythi componendi rationem Plato ipse retegit :

> ἐν αἷς νῦν δὴ ἐλέγομεν ταῖς μυθολογίαις... ἀφομοιοῦντες τῷ ἀληθεῖ τὸ ψεῦδος ὅ τι μάλιστα, οὕτω χρήσιμον ποιοῦμεν. [*Resp.* 382 D.

Itaque mythus omnino mendax est, sed tamen veritatis cujusdam imaginem aut similitudinem refert; quod OLYMPIODORUS optime per hanc definitionem expressit :

Μῦθός ἐστι λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν.

[*Comm. in Gorg.* f. 73.

Non igitur mythi ad verbum accipiendi, sed universi allegorico tantum sensu intellegendi sunt, ut auctor ipse nos docet. Quam vero veritatem, mendaciis quasi involutam, Platonici mythi contineant, nunc nobis inquirendum est.

CAPUT SECUNDUM

DE DEORUM IN MYTHIS FREQUENTIA

Hoc primum maxime notandum est, deos in omnibus fere mythis versari; quod lectorem vel minime attentum fugere non potest. Nam in *Phædri* mytho statim divina natura allegorice definitur [246 AB], mox vero dii ipsi, duodecim scilicet Olympii, inducuntur [246 E — 247 A; 252 C — 253 C].

Omnes mythicæ in *Convivio* habitæ orationes de Amoris natura et origine, necnon de Veneris, aut potius Venerum binarum, indole ac specie agunt.

Gorgiæ mythum exordiens, Socrates mundi universi imperium inter tres Saturni filios distributum esse, *Homero teste*, refert [523 A].

In *Phædonis* mytho Plutonia regna Socrates fuse describit [111 C — 114 C], necnon pulchras et beatas super terram sedes [110 B — 111 C], ubi justi et pii homines una *cum diis* habitare dicuntur [111 B].

Reipublicæ mythi maximam partem Parcæ occupant earumque mater Necessitas, allegorica profecto dea, cujus fusus copiose et abundanter depingitur [616 C — 617 C].

Protagoræ mythus his verbis incipit :

Ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὅτε θεοὶ μὲν ἦσαν, θνητὰ δὲ γένη οὐκ ἦν.

[*Prot.* 320 C.

Tum omnia animantium genera a diis, Prometheo et Epimetheo præsertim, efficta esse narrat [320 D — 322 A], et Jovem humanæ gentis curam habere refert [322 CD]. In *Gorgiæ* mytho etiam [523 E] Prometheus deorum minister et quasi opifex videtur.

In *Politici* mytho Saturnia regna memorantur [269 A]. Hic quoque de Prometheo agitur, et de aliis diis, Vulcano scilicet et Minerva, Cerere et Baccho, qui homines muneribus suis ornaverunt [274 CD] [1].

Haud secus in Atlantidis mytho Minerva Athenienses nutrivisse et excoluisse fertur [*Tim.* 23 D, 24 B—D; cf. *Prot.* 321, *Pol.* 274]. Nam dii omnes terrarum orbem inter se diviserunt (*Crit.* 109 AB, 113 B, quod cum *Gorgiæ* mytho parum congruit). Attica autem Vulcano et Minervæ contigit, diis scilicet philosophis [*Crit.* 109 C; cf. *Tim.* 24 D]. Sicut Athenienses Minervæ, ita Atlantidis incolæ Neptuni alumni dicuntur [*Crit.* 119 C], nam ab eodem deo reges insulæ originem ducunt [113 CD]. Denique (et quidem sub fine inchoati et interrupti dialogi) Jovem ipsum in deorum concilio loquentem Plato inducit [*Crit.* 121 BC].

Omnia igitur in magnis illis mythis diis agentibus, ducentibus aut providentibus referuntur. Neque in minoribus mythis dii minorem locum obtinent. Nam in cicadarum mytho Musas post homines natas esse dicitur (*Phædr.* 259 B; quod *Protagoræ* [320 C] mytho prorsus repugnat).

In alio *Phædri* mytho, litteras a deo quodam Ægyptio, nomine Theuth, inventas esse Plato fingit [274 C — 275 B]. Universas enim artes hominibus a diis datas esse vulgo traditur [cf. *Prot.* 321 D, *Pol.* 274 C, *Tim.* 24 B—D, *Crit.* 109 C].

Cera ipsa, quæ est memoriæ figura, deæ Mnemosynes donum dicitur [*Theæt.* 191 D], ita ut non mythi solum, sed etiam allegoriæ divina opera egere videantur.

Præter vulgatos et solemnes deos incertus quoque et sine nomine deus in mythicis quibusdam locis adducitur, in *Politici* præcipue mytho, ubi deus quidam mundum vicissim gubernare et remittere dicitur [*Pol.* 269 C, E, 271 D, 273 D], qui deus propterea nominatur : τοῦ παντὸς κυβερνήτης [272 E], δημιουργός [270 A], δ. καὶ πάτηρ [273 B]. Ne vero deum illum ignotum in Platonis mente solum et unicum unquam fuisse putemus, deos

1. Præterea, omnes artes humano generi a diis traditas esse Plato mythice asserere solet [cf. ex. gr. *Remp.* 411 E].

alios adjuvantes ei subjungit [272 E], qui singulas mundi partes, illo imperante, regunt.

In *Reipublicæ* quoque mytho dei incerti mentio fit in Lachesis oratione : θεὸς ἀναίτιος [617 E]. Sed maxime in Phœnicio dicto mytho deus quidam miro modo inducitur : nam, postquam homines terra natos esse Plato dixit :

ὑπὸ γῆς ἐντὸς πλαττόμενοι καὶ τρεφόμενοι.... [414 D.

mox deum artificem allegat, et quidem in mythica oratione :

ὡς φήσομεν πρὸς αὐτοὺς μυθολογοῦντες, ἀλλ' ὁ θεὸς πλάττων.... [1]
[415 A.

et paulo post deum ipsum loquentem et jubentem producit :

παραγγέλλει ὁ θεός. [415 B.

quo majus præcepta ipsius pondus habeant. Itaque Plato in hoc loco nos docet, quomodo mythos suos composuerit, et qua ratione deos in illis insumpserit.

Consilium idem et artificium in *Phædonis* quoque initio aperte deprehendimus. Nam, cum Socrates, voluptatem et dolorem artissime conjunctas esse significare volens, Æsopicæ fabellæ argumentum excogitat, statim deum quemdam operantem adhibet, ut sententiam suam *mythice* proponat :

... μῦθον ἂν συνθεῖναι, ὡς ὁ θεὸς βουλόμενος αὐτὰ διαλλάξαι πολεμοῦντα, ἐπειδὴ οὐκ ἐδύνατο, συνῆψεν εἰς ταὐτὸν αὐτοῖς τὰς κορυφάς....
[*Phæd.* 60 C.

Itaque in minimo hoc mytho divinus opifex, perinde atque in magnis supra memoratis, necessitate quadam usurpatur, quasi mythum ullum deo carere nefas sit. Haud alia ratione Aristophanes in mythica et jocosa oratione Apollinem artificem [*Conv.* 190 E] et Vulcanum fabrum [192 D] assumpsit. Nihil igitur, in mythis saltem, sine deo fieri constat.

Nunquam rursus dei cujusquam aut deorum, nisi in mythicis locis, mentio fit, quod ex uno aut altero exemplo apparebit. De Baccho furente Plato sic loquitur :

1. Cf. *Protagoræ* mythum : τυποῦσιν αὐτὰ θεοὶ γῆς ἔνδον. [320 D.

Λόγος τις ἅμα καὶ φήμη ὑπορρεῖ πως, ὡς ὁ θεὸς οὗτος ὑπὸ τῆς μητρυιᾶς Ἥρας διεφορήθη τῆς ψυχῆς τὴν γνώμην.... |*Leg*. 672 B.

quæ verba mythicam fabulam satis denuntiant. Alias, cum fabulam valde absurdam et plane ridiculam refert, hæc dicit :

ὥς ποτε θεόν φασι δρᾶσαι, Καινέα τὸν Θετταλὸν ἐκ γυναικὸς μεταβαλόντα εἰς ἀνδρὸς φύσιν. |*Leg*. 944 D.

Animadvertendum autem est, hos locos ceteris novissime allatis forma ipsa omnino similes esse. Quin etiam sententiæ, quæ maximam gravitatem et pietatem redolent, mythico semper quodam fuco illitæ sunt. Inter quas hæc valde insignis est :

ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. [*Leg*. 715 E—716 A.

Verumenimvero pulcherrima illa sententia mythicæ orationis exordium efficit, et ex Orphicis carminibus, quæ Plato mythos putat (ὁ παλαιὸς λόγος), deprompta est [cf. *Schol. ad Leges*]. Simili ratione, postquam Atheniensis hospes optimam civitatem *a deo* regi asseruit, cum Clinias rogat :

Τίς δ' ὁ θεός; |*Leg*. 713 A.

statim ille respondet :

Ἆρ' οὖν μύθῳ σμικρά γ' ἔτι προσχρηστέον;

et paulo post Clinias eum hortatur, ut *mythum* narrare pergat [713 C]; quæ verba mythicam illius sententiæ virtutem satis detegunt. Et revera hospes nobiles de Saturni regno et de aurea ætate fabulas, quæ in *Politici* mytho narrantur, memorat.

Itaque ex hoc toto capite concludere licet, non solum omnia in mythis deorum opera aut nutu fieri, sed etiam omnia deorum dicta factaque mythica esse.

CAPUT TERTIUM

DE VULGATIS CIRCA DEOS MYTHIS

Totam igitur Platonicam de diis doctrinam fabulosam esse jam suspicari licet : quod nunc nobis demonstrandum est. Deorum autem cognitionem omnino mythicam esse Plato ipse confitetur :

εἰ δὲ εἰσί τε [οἱ θεοὶ] καὶ ἐπιμελοῦνται [ἡμῶν], οὐκ ἄλλοθέν τοι αὐτοὺς ἴσμεν ἢ ἀκηκόαμεν ἢ ἔκ τε τῶν λόγων καὶ τῶν γενεαλογησάντων ποιητῶν. [*Resp*. 365 E.

Quid igitur poetæ de deorum natura doceant, operæ pretium erit percensere.

Omnes prope fabulas, quas poetæ de diis narrant, Plato vehementer improbat : scilicet deorum pugnas et insidias [*Resp*. 378 B, C, D] jurgia et perjuria [379 E] dolos et fraudes [380 D, 381]. Deos contra neque mendaces [382] neque impotentes [388 C — 389 A], neque libidinosos [390 B, C], neque venales [390 D E] esse Plato contendit.

Alias in aliis dialogis fabulas simili ratione auctor vituperat : Mercurium ceterosque deos neque furari nec prædari asserit [*Leg*. 941 B]. Sed maxime fabulam de Ganymede a Jove rapto exprobrat :

Πάντες δὲ δὴ Κρητῶν τὸν περὶ τὸν Γανυμήδη μῦθον κατηγοροῦμεν ὡς λογοποιησάντων τούτων....

et Cretenses arguit

τοῦτον τὸν μῦθον προστεθεικέναι κατὰ τοῦ Διός, ἵνα ἑπόμενοι δὴ τῷ θεῷ καρπῶνται καὶ ταύτην τὴν ἡδονήν. |*Leg*. 636 CD.

Verum quid maxime in talibus fabulis Plato reprehendat, accurate nobis inquirendum est. Falsas quidem et impias eas judicat [*Resp.* 391 E, 378 BC, 380 C, 386 C; cf. *Leg.* 941 B], poetasque mendacii accusare videtur [*Resp.* 377 D, E; 381 DE, 391 D]. Illud autem veritatis et pietatis studium parum serium esse mox patet : nam, cum male dicere de diis reformidare videatur [381 E], nihilominus epicas de heroibus vel hominibus (ex. gr. de Achille et Priamo) fabulas reprehendit, quæ nullo modo impiæ aut nefandæ sunt [388 A, B, 390 E, 391 A, C] easque minime veras esse dicendas decernit [391 B].

Veram contra sententiam suam alias retegit, cum fabulas istas ad pueros erudiendos parum idoneas esse in plurimis locis declarat [377 B, 378 C, 380 B, 381 E, 387 B, C, 388 A, D, E, 389 D, 390 A]. Etiam cum eas neque veras neque pias esse censet, minime utiles ad mores puerorum formandos esse statim addit, quod gravissimum sane est :

οὔτε ὅσια... οὔτε ξύμφορα ἡμῖν.... [380 C.

οὔτ᾽ ἀληθῆ... οὔτ᾽ ὠφέλιμα τοῖς μέλλουσι μαχίμοις ἔσεσθαι. [386 C; cf. 383 C, 386 A.

Haud igitur quia falsi sunt, poetarum mythi castigantur, sed quia puerorum moribus nocent; ideoque, postquam dixit :

οὔθ᾽ ὅσια ταῦτα οὔτ᾽ ἀληθῆ....

statim de iisdem statuit :

καὶ μὴν τοῖς γε ἀκούουσι βλαβερά. [*Resp.* 391 E.

et universum de poeticis fabulis judicium hoc pronuntiat :

ὧν ἕνεκα παυστέον τοὺς τοιούτους μύθους, μὴ ἡμῖν πολλὴν εὐχέρειαν ἐντίκτωσι τοῖς νέοις πονηρίας. [*Ibid.*

Maximam enim rudimentorum et primarum disciplinarum vim esse Platonem haud fallit [*Resp.* 377 B, C, 378 E]; deorum autem peccantium exemplum omnium pessimum et pueris minime proponendum esse arbitratur [*Resp.* 378 B; cf. *Leg.* 941 B].

Poetas igitur et mythologos cunctos Plato increpat, non quia mentiti, sed quia *male* mentiti sunt [*Resp.* 377 B, D, E]; non quia fabulas, sed quia perniciosas fabulas narrant. Quapropter Plato novam de diis doctrinam proponit et vulgatis opinionibus opponit, non tanquam *verum falso*, aut *didacticum mythico*, sed tanquam *utiliores* fabulas et *pulchriora* mendacia, quam quæ poetæ composuerunt :

ὅ τι κάλλιστα μεμυθολογημένα πρὸς ἀρετήν. [378 E.

quibus verbis simul doctrinam suam de diis mythicam esse Plato significat, et totam ad virtutem suadendam et pueris inculcandam effictam esse.

Adeo Plato in componendis mythis veritatem multo minus quam utilitatem quærit, ut nefanda deorum facinora, ab antiquis poetis relata vel potius inventa, nunquam pueris et juvenibus narranda esse constituat, etiam si vera essent :

οὐδ᾽ ἂν εἰ ἦν ἀληθῆ. [*Resp.* 378 A.

Itaque philosophum de divinorum mythorum veritate minime curare manifestum est. Non igitur nimis auctori ironico credendum est, cum veritatem de diis perscrutari videtur :

οἷος τυγχάνει ὁ θεὸς ὤν, ἀεὶ δήπου ἀποδοτέον....

nam statim hæc subjungit :

ἐάν τέ τις αὐτὸν ἐν ἔπεσι ποιῇ, ἐάν τε ἐν τραγῳδίᾳ. [*Resp.* 379 A.

Omnem enim poesim falsam aut fictam saltem esse jamjam didicimus.

Præterea, quæcumque de diis docenda esse Plato statuit, nihilo minus ficta et mythica sunt, quam quæ poetæ priores excogitaverunt [377 B, 378 D] : nam, cum poemata quædam nova desiderentur, non a legumlatoribus aut civitatis conditoribus, verum a poetis componenda erunt [379 A]. Legislatoris opus est accurate definire

τοὺς τύπους... ἐν οἷς δεῖ <u>μυθολογεῖν</u> τοὺς ποιητάς,

eosdem vero « typos » statim sic nominat :

οἱ τύποι περὶ <u>θεολογίας</u>. [*Resp.* 379 A.

ita ut ex ipsis auctoris verbis facile concludatur :

Πᾶσα θεολογία μυθολογία ἐστί.

[Cf. etiam *Phædr.* 242 C, 243 A.]

Itaque tota Platonica de diis doctrina, perinde ac vulgatæ poetarum fabulæ, mythica est, et ab iis eo tantum differt, quod ad mores civium formandos magis apta atque utilis sit. Quapropter non ad litteram accipienda, sed *allegorice* interpretanda est : nam, cum mendacium aliquando et quibusdam utile esse professus sit auctor [382 C, 389 B], mendacia illa pulchra et utilia nihil aliud sunt, quam hi mythi ipsi, quos circa deos Plato fingit, immo fingere jubet [379 A]. Falsum vero nullo modo utile fieri possit, nisi veritatis similitudinem aut imaginem quamdam referat [382 D; cf. 377 E].

CAPUT QUARTUM

DOCTRINA DE DIIS MYTHICA EST

Quam vero veritatem mythi circa deos simul celent et exprimant, nunc investigare oportet. Ideo quæ de deorum natura Plato doceat referemus et interpretabimur :

Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅ γε θεὸς τῷ ὄντι. [*Resp.* 379 A.

[Cf. 380 B; *Leg.* 900 D.]

Ὁ θεός γε καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει. [*Resp.* 381 B.

Hic vero animadvertendum est, verbum « ὁ θεός » non Deum unum et summum designare, sed deum in genere conceptum seu divinam naturam, sicut « ὁ ἄνθρωπος » hominem indefinitum seu humanam naturam indicat. Præterea singulari hac voce « ὁ θεός » deum incertum in pluribus mythis significari novimus [*Resp.* 415 A, B, *Pol.* 269 C sqq., *Phæd.* 60 C]. Quid autem verbum illud proprie exprimat, e locis supra citatis jam suspicari licet : ideas scilicet, in primis Boni ideam, quæ inter ideas summum locum obtinet. Quam interpretationem loci plurimi confirmant, ubi Plato contendit

μὴ πάντων αἴτιον τὸν θεὸν, ἀλλὰ τῶν ἀγαθῶν.
[*Resp.* 380 C; cf. 380 B, 391 D, E.

nam antea hæc omnino similia scripsit :

Οὐκ ἄρα πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθόν, ἀλλὰ τῶν μὲν εὖ ἐχόντων αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν ἀναίτιον. [*Resp.* 379 B.

unde statim concludit :

Οὐδ' ἄρα ὁ θεός, ἐπειδὴ ἀγαθός, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ

λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος... καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. [379 C.

Notissimum vero illud Platonicum placitum est, nullam rem bonam, nisi Boni ipsius adventu et præsentia, fieri [*Phæd.* 100 B sqq.] ita ut Boni idea omnium in mundo et in homine bonorum causa sit [*Resp.* 507 B], cum contra malorum omnium causa in principio ideæ Boni et ceteris ideis opposito, in materia nempe sive in non ente, reperiatur. [*Theæt.* 176 A; *Tim.* 48 A, 49 A, 50 C, 51 A, 52 B, D.] Præterea, si duos locos novissime allatos conferas, affatim elucet, « τὸ ἀγαθόν » et « ὁ θεός » eumdem plane sensum habere, itaque verbum *deum* nihil aliud quam mythicum Boni ipsius nomen esse, quod quoque « divina causa » nonnunquam nuncupatur [*Tim.* 68 E].

Et revera, omnia quæ idearum propria et peculiaria sunt, deo vel diis Plato e consilio tribuere solet : simplicitatem scilicet et immutabilitatem [*Resp.* 380 D, E, 381 A], pulchritudinem et omnis generis excellentiam [381 C], veritatem denique [382 E; cf. *Crat.* 408 C, *Phæd.* 84 A] : nimirum, cum *veritas* nihil aliud sit quam Ideæ ipsæ [*Phædr.* 247 D, E, 248 A, B, C, 249 B, C; *Phæd.* 99 E]. Quapropter scientiam, et omnes virtutes, quæ ab scientia pendent, dii possidere dicuntur [*Leg.* 900 D]. Quin etiam dii soli scientiam veram et puram habent, quam homines semper appetunt, nunquam vero totam adipiscuntur :

τὸ μὲν σοφόν... θεῷ μόνῳ πρέπειν · τὸ δὲ φιλόσοφον... μᾶλλον αὐτῷ [scil. τῷ ἀνθρώπῳ] ἁρμόττοι. [*Phædr.* 278 D.

Dicet forsan aliquis, deos et ideas non unum atque idem esse, cum contra dii ideas contemplari iisque vesci dicantur :

τὰ ὄντα ὄντως θεασαμένη καὶ ἑστιαθεῖσα. [*Phædr.* 247 E.

ἰδοῦσα διὰ χρόνου τὸ ὄν... καὶ θεωροῦσα τἀληθῆ τρέφεται... [247 D.

Sed verba ipsa, haud minus quam locus, ubi talia asseruntur, hanc sententiam prorsus mythicam esse satis monstrant : nam allegorice tantum dii ab ideis separantur, ut eas intueri possint, quod sane fabulosum est.

Præterea deorum natura plane mythica est : nam deum in genere Plato in mythi ejusdem initio sic definit :

ἀθάνατόν τι ζῷον, ἔχον μὲν ψυχήν, ἔχον δὲ σῶμα, τὸν ἀεὶ δὲ χρόνον ταῦτα ξυμπεφυκότα. [*Phædr.* 246 D.

qua definitione, si seria ac didactica esset, nihil magis absurdum et ridiculum invenire liceret, cum corpus res natura mutabilis et mortalis sit [*Phæd.* 80 B, *Tim.* 28 B, C]; dii autem sine corpore ideas *videre* nequeant. Quomodo igitur iidem æterna vita frui possent, si corpore et anima compositi essent, corpore, inquam, quod ipsum maxime compositum est? Nam, ut Plato alias scripsit :

οὐ ῥᾴδιον ἀΐδιον εἶναι σύνθετον ἐκ πολλῶν. [*Resp.* 611 B.

Denique, hæc divinæ naturæ definitio cum reliquis (mythicis) placitis discrepat : sæpe enim deum omnino simplicem esse auctor contendit [*Resp.*, 380 D], quod præcedenti de deorum compositione sententiæ valde repugnat.

Obscura igitur et parum perspicua deorum natura videtur, quod Plato ipse confitetur :

ἀθάνατον δὲ οὐδ' ἐξ ἑνὸς λόγου λελογισμένου, ἀλλὰ πλάττομεν οὔτε ἰδόντες οὔτε ἱκανῶς νοήσαντες θεόν. [*Phædr.* 246 C.

quibus verbis mythicam esse suam de diis doctrinam aperte declarat. Eamdem sententiam alibi penitus patefacit :

περὶ θεῶν οὐδὲν ἴσμεν. [*Crat.* 400 D.

Scilicet nihil *didacticum* de diis scimus; illos enim nisi poetarum et theologorum mythis non cognoscimus [*Resp.* 365 E], eosque per fabulas et figuras tantum effingimus (πλάττομεν), non vero ratione comprehendimus (νοήσαντες), itaque nullam eorum scientiam veram ac certam habemus.

Quid autem Plato in mythis divinis fingendis sibi proposuerit, facile perspicitur. Deus vel dii omnes nihil aliud quam perfecta humanæ naturæ exemplaria, omnibus virtutibus prædita, sunt [*Phædr.* 381 C, *Leg.* 900 D], quæ quisque pro virili parte imitari, et quibus similem fieri debet, sicut in plurimis

λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος... καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν. [379 C.

Notissimum vero illud Platonicum placitum est, nullam rem bonam, nisi Boni ipsius adventu et præsentia, fieri [*Phæd.* 100 B sqq.] ita ut Boni idea omnium in mundo et in homine bonorum causa sit [*Resp.* 507 B], cum contra malorum omnium causa in principio ideæ Boni et ceteris ideis opposito, in materia nempe sive in non ente, reperiatur. [*Theæt.* 176 A; *Tim.* 48 A, 49 A, 50 C, 51 A, 52 B, D.] Præterea, si duos locos novissime allatos conferas, affatim elucet, « τὸ ἀγαθόν » et « ὁ θεός » eumdem plane sensum habere, itaque verbum *deum* nihil aliud quam mythicum Boni ipsius nomen esse, quod quoque « divina causa » nonnunquam nuncupatur [*Tim.* 68 E].

Et revera, omnia quæ idearum propria et peculiaria sunt, deo vel diis Plato e consilio tribuere solet : simplicitatem scilicet et immutabilitatem [*Resp.* 380 D, E, 381 A], pulchritudinem et omnis generis excellentiam [381 C], veritatem denique [382 E; cf. *Crat.* 408 C, *Phæd.* 84 A] : nimirum, cum *veritas* nihil aliud sit quam Ideæ ipsæ [*Phædr.* 247 D, E, 248 A, B, C, 249 B, C; *Phæd.* 99 E]. Quapropter scientiam, et omnes virtutes, quæ ab scientia pendent, dii possidere dicuntur [*Leg.* 900 D]. Quin etiam dii soli scientiam veram et puram habent, quam homines semper appetunt, nunquam vero totam adipiscuntur :

τὸ μὲν σοφόν... θεῷ μόνῳ πρέπειν · τὸ δὲ φιλόσοφον... μᾶλλον αὐτῷ [scil. τῷ ἀνθρώπῳ] ἁρμόττοι. [*Phædr.* 278 D.

Dicet forsan aliquis, deos et ideas non unum atque idem esse, cum contra dii ideas contemplari iisque vesci dicantur :

τὰ ὄντα ὄντως θεασαμένη καὶ ἑστιαθεῖσα. [*Phædr.* 247 E.

ἰδοῦσα διὰ χρόνου τὸ ὂν... καὶ θεωροῦσα τἀληθῆ τρέφεται... [247 D.

Sed verba ipsa, haud minus quam locus, ubi talia asseruntur, hanc sententiam prorsus mythicam esse satis monstrant : nam allegorice tantum dii ab ideis separantur, ut eas intueri possint, quod sane fabulosum est.

Præterea deorum natura plane mythica est : nam deum in genere Plato in mythi ejusdem initio sic definit :

ἀθάνατόν τι ζῷον, ἔχον μὲν ψυχήν, ἔχον δὲ σῶμα, τὸν ἀεὶ δὲ χρόνον ταῦτα ξυμπεφυκότα. [*Phædr.* 246 D.

qua definitione, si seria ac didactica esset, nihil magis absurdum et ridiculum invenire liceret, cum corpus res natura mutabilis et mortalis sit [*Phæd.* 80 B, *Tim.* 28 B, C]; dii autem sine corpore ideas *videre* nequeant. Quomodo igitur iidem æterna vita frui possent, si corpore et anima compositi essent, corpore, inquam, quod ipsum maxime compositum est? Nam, ut Plato alias scripsit :

οὐ ῥᾴδιον ἀΐδιον εἶναι σύνθετον ἐκ πολλῶν. [*Resp.* 611 B.

Denique, hæc divinæ naturæ definitio cum reliquis (mythicis) placitis discrepat : sæpe enim deum omnino simplicem esse auctor contendit [*Resp.*, 380 D], quod præcedenti de deorum compositione sententiæ valde repugnat.

Obscura igitur et parum perspicua deorum natura videtur, quod Plato ipse confitetur :

ἀθάνατον δὲ οὐδ' ἐξ ἑνὸς λόγου λελογισμένου, ἀλλὰ πλάττομεν οὔτε ἰδόντες οὔτε ἱκανῶς νοήσαντες θεόν. [*Phædr.* 246 C.

quibus verbis mythicam esse suam de diis doctrinam aperte declarat. Eamdem sententiam alibi penitus patefacit :

περὶ θεῶν οὐδὲν ἴσμεν. [*Crat.* 400 D.

Scilicet nihil *didacticum* de diis scimus; illos enim nisi poetarum et theologorum mythis non cognoscimus [*Resp.* 365 E], eosque per fabulas et figuras tantum effingimus (πλάττομεν), non vero ratione comprehendimus (νοήσαντες), itaque nullam eorum scientiam veram ac certam habemus.

Quid autem Plato in mythis divinis fingendis sibi proposuerit, facile perspicitur. Deus vel dii omnes nihil aliud quam perfecta humanæ naturæ exemplaria, omnibus virtutibus prædita, sunt [*Phædr.* 381 C, *Leg.* 900 D], quæ quisque pro virili parte imitari, et quibus similem fieri debet, sicut in plurimis

mythicis locis auctor præcipit [*Phæd*. 64 C, 65 sqq.; *Theæt*. 176 B; *Leg*. 716 CD]. Quapropter dii justissimi dicuntur :

Θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος.

[*Theæt*. 176 BC; cf. *Remp*. 352 A.

et omnium affectuum expertes :

οὔτε χαίρειν τοὺς θεοὺς οὔτε τὸ ἐναντίον.

[*Phil*. 33 B; cf. *Remp*. 388 C.

non solum quia immutabilis eorum natura dicitur (sicut ideæ, quarum imagines sunt) [*Resp*. 380 D — 381 C], sed etiam ut hominibus temperantiæ exemplum præstent [v. *Resp*. 388 D].

Simili ratione vitam, quæ in scientia, hoc est idearum contemplatione, tota degitur, *divinam* Plato mythice vocat, quamvis illud vitæ genus optimum non sit, neque in scientia pura summum bonum constet [*Phil*. 33 B, cf. 21 E; *Phædr*., 247 DE].

Divini ideo dicuntur quicumque veritatem adepti, id est, Idearum participes facti sunt :

Καί μοι δοκεῖ θεὸς μὲν ἀνὴρ οὐδαμῶς εἶναι, θεῖος μήν · πάντας γὰρ ἐγὼ τοὺς φιλοσόφους τοιούτους προσαγορεύω. [*Soph*. 216 BC.

Quapropter vocabula θεῖος et σοφός idem valent [*Prot*. 315 E; *Resp*. 331 E; *Leg*. 642 D, 792 D]. Quin etiam dii ipsi propter idearum (mythicam) communionem *divini* vocantur, quod valde mirandum est :

[τὰ εἴδη] πρὸς οἷσπερ θεὸς ὢν θεῖός ἐστι. [*Phædr*. 249 C.[1]

Cf. : πρὸς τῷ θείῳ γιγνόμενος. [249 D.

quod etiam atque etiam probat, τὸ θεῖον nihil aliud quam Ideas esse.

Philosophia igitur deorum donum dicitur :

φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔτε ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν. [*Tim*. 47 B.

1. Ἅτ' οὖν θεοῦ διάνοια νῷ τε καὶ ἐπιστήμῃ ἀκηράτῳ τρεφομένη.... [*Phædr*. 247 D.

quæ sententia prorsus mythica est, ut ex alio simili loco elucet, ubi Promethei mentio fit [cf. *Gorg*. 523 E, *Prot*. 320 D sqq., *Pol*. 274 C] :

Θεῶν μὲν εἰς ἀνθρώπους δόσις (dialectica videlicet)... ποθὲν ἐκ θεῶν ἐρρίφη διά τινος Προμηθέως ἅμα φανοτάτῳ τινὶ πυρί. [*Phil*. 16 C.

Deus itaque quasi summus et perfectus dialecticus jactatur [*Tim*. 68 D; cf. *Phil*. 14 C, 16 C; *Phædr*. 249 B, 265 D sqq.] et propterea *divinus* dicitur quicumque sapiens (σοφός) vel tantum philosophus (φιλόσοφος) est [*Resp*. 500 D; *Leg*. 818 C, cf. *Resp*. 522 C].

Amici igitur *deorum* philosophi vocantur [*Phil*. 39 E, 40 B, *Resp*. 501 B, 560 BC, 612 E, 621 C, *Tim*. 53 D, *Conv*. 212 A], necnon omnes quoque justi et probi viri, quia virtus universa ex Idearum cognitione manat [*Resp*. 352 B, 382 E, 383 C, *Leg*. 716 D, 666 D, 945 C]; improbi contra et injusti non minus diis quam hominibus odiosi sunt [*Resp*. 352 B, 612 E, *Leg*. 916 E; cf. *Remp*. 382 A]. Quas loquendi formas mythicas esse locus quidam admodum probat, ubi corpus etiam *diis amicum* fieri posse dicitur, quod cum corporis natura parum congruere videretur, nisi hoc tantum Plato significare voluisset, tale corpus ad Ideæ normam et velut exemplar compositum esse [*Tim*. 60 E; cf. *Phædr*. 251 A].

Nullo alio modo hæc mythica quoque sententia intellegi potest :

Ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα, καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος. [*Leg*. 716 C.

(quibus verbis nobilem illam Protagoræ sententiam, haud semel antea memoratam [*Crat*. 386 A, *Theæt*. 152 A] profecto significat) ; nam Idea sola, ut existentiæ causa, ita veritatis principium et virtutis regula in Platonis doctrina semper fuit.

Denique, ut deos nihil præter Ideas esse etiam atque etiam confirmemus, dii ipsi quodammodo *participantur*, quod Ideis proprium esse constat :

[τὸ πτερὸν] κεκοινώνηκέ πῃ... τοῦ θείου. [*Phædr*. 246 D.

Novimus autem, τὸ θεῖον atque τὸν θεόν unum eumdemque plane sensum habere [*Phædr.* 246 E, cf. 278 D; *Resp.* 382 E]. Verum hic saltem locus minime ambiguus est :

καθ' ὅσον δυνατὸν θεοῦ ἀνθρώπῳ μετασχεῖν. [*Phædr.* 253 A.

ubi deus ipse expressis verbis *participatur*. Alias mundus totus tam res divinas beatasque (Ideas scilicet) quam corpus (hoc est materiam) *participare* dicitur :

πολλῶν μὲν καὶ μακαρίων παρὰ τοῦ γεννήσαντος μετείληφεν, ἀτὰρ οὖν δὴ κεκοινώνηκέ γε καὶ σώματος. [*Pol.* 269 D.

Præterea, deos revera esse Platonem in *Legum* X° libro demonstravisse nos minime fugit : sed demonstrationem illam postea explanabimus, cum de animæ immortalitate disseremus. Nunc unum hoc animadvertendum esse censemus, eam in dialogo omnino mythico, et in loco maxime mythico [*Leg.* 893 B] reperiri, quod ad ejus momentum elevandum jam sufficit.

CAPUT QUINTUM

MUNDI FABRICA MYTHICA EST

Sententiam nostram de Platonica deorum doctrina disquisitio et interpretatio locorum, ubi dii mundum creavisse et ornavisse dicuntur, mox confirmabunt : quorum plerique in *Timæo*, mythico quidem dialogo, reperiuntur. Sed antequam hos locos enucleamus, operæ pretium erit alios similes mythos percensere, quo rectius *Timæi* mythum intellegamus.

Jam animadvertimus (cap. II) divinos quosdam opifices a Platone in mythis sæpissime usurpari : quod ex aliis mythicis locis etiam comperire licet. Nam in *Cratylo* cum Socrates rectam nominis naturam quærit, radii textorii similitudine utitur [*Crat.* 388 BC] et, ut radius fabri opus est, ita nomen quoque artificis alicujus [ὀνοματουργοῦ, 388 E] opus esse contendit, quem primo legumlatorem [νομοθέτης, 389 A], deinde nominum latorem [ὀνομάτων θέτης, 389 D], verba cavillans, vocat, denique nominum fabrum [δημιουργὸν ὀνομάτων, 390 E; cf. 389 A]. Sed in eodem dialogo [*Crat.* 425 D] Plato eos reprehendit et irridet, qui deos nominum rebus imponendorum auctores esse putant, quæ pessima quæstionis solvendæ, immo effugiendæ, ratio auctori videtur [cf. 438 C].

In *Sophista* divinum artificem invenimus, quem Plato ad humanorum opificum similitudinem assumit : nam, ut analogiam quamdam inter res natura existentes et res ab homine fabricatas servet, duo industriæ (ποιητικῆς) genera distinguit, unum humanum, alterum divinum [*Soph.* 265 B], et omnia animantia vel inanima dii cujusdam opera esse fingit :

θεοῦ δημιουργοῦντος. [265 C; cf. 265 E, 266 B.

Alium etiam « demiurgum » in *Republica* Plato induxit : postquam enim humano cuique fabro, cum lectum vel mensam sensibilem fabricet, ad lecti vel mensæ ideam respiciendum esse, lecti vero et mensæ ideas a nullo humano fabro fabricatas esse didactice asseruit [*Resp.* 596 B], fabrum unum idearum omnium auctorem esse mythice fingit [596 C], qui δημιουργός et ποιητής vocatur [596 D]. Deinde, *fabrum* illum *strenuum mirabilem*que *sophistam* [596 C] *deum* nominat [597 B]. Itaque tres lecti, idealis, ligneus et pictus, tribus artificibus, deo scilicet, fabro, pictori tribuuntur, unde apparet, divinum hunc fabrum ad analogiam mythicam complendam, et quasi « symmetriæ » causa tantum induci.

Simili ratione, in *Politici* mytho, deum quemdam mundi *gubernatorem* [272 E] Plato adhibuit, quæ allegorica Idearum imago procul dubio est. Nam, quamdiu mundum regit et gubernat, omnia bona, pulchra et beata fiunt [273 BC]; quotiescumque autem clavum amittit et res necessitati et fato relinquit [269 D, 272 E], omnia contraria fiunt [273 D]. Deus igitur vitæ [270 A], rationis [269 C], ordinis et harmoniæ [273 E] causa dicitur, quæ omnia ab Ideis tantum effici satis notum est. Præterea res illæ *divinissimæ*, æternæ et immutabiles [269 D] nihil aliud quam Ideas significant [cf. *Phæd.* 80 AB], quas mundus simul atque materiam participat [269 D]. Quin etiam vera *dei* significatio e natura principii contrarii affatim elucet, nam cum principium hoc mali, mutationis, perturbationis et exitii [269 DE, 273 B, C, D] causa sit, non-ens seu infinitum in illo facile agnoscitur, quod principium Ideis oppositum esse novimus, et in hoc ipso mytho *corpus* vel *corporeum* vocatum [269 D, 273 B]. Necesse igitur est concludere, deum illum mundi demiurgum nihil præter Ideas, et præsertim Boni ideam, significare.

Hoc vero maxime animadvertendum est, ambo principia, quæ communione mutua mundum constituunt, in mytho vicissim præpollere, ita ut alternis periodis rerum summam regant, cum contra utrumque semper in mundo revera valeat, neque unquam alterutrum solum vigere possit [*Theæt.* 176 A]. Mythicæ igitur

orationis hoc est proprium, per tempus æterna, et per vicissitudines quæ simul unaque sunt, convertere et quasi transferre.

His recte perspectis, *Timæi* creatorem facile intellegemus, quem Timæus exordiens vocat

τὸν... ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντός. [28 C.

aut etiam :

ὁ δημιουργός. [28 A, 29 A.

quæ voces jam mythicos *Politici* [273 B] et *Reipublicæ* [596 D] artifices designabant. Tum mundum universum Idearum imaginem esse, et a demiurgo Ideas intuente fabricatum esse Timæus narrat [29 AB]. Ne vero creatorem ab Ideis secerni miremur, meminisse oportet, in ceteris quoque mythis divinum opificem ab exemplare distingui. Haud alia ratione in *Phædri* mytho deos contemplantes Ideis contemplatis auctor opposuit, aut in memoriæ allegoria artifices duos, scribam scilicet et pictorem, libro adjunxit, in quo alter scriberet, alter pingeret [*Phil.* 39 AB]. Semper enim, ad humanæ industriæ instar, opus et opificem, aut artificem et exemplar quod imitatur, mythice separare solet. Præterea, cum demiurgus bonus et optimus dicatur [29 A,E], patet eum nihil nisi ideæ Boni imaginem esse.

Sed, quod maxime mirandum est, cum in *Timæo*, sicut in *Phædro*, ideæ et dii seorsum exsistere videantur, in *Republica* contra ideæ a deo fabricari dicuntur; in *Sophista* autem deus non ideas, verum res sensibiles fabricasse dicitur. Quæ omnia invicem contraria placita inter se valde repugnant, immo repugnarent, nisi omnino mythica essent. Quamobrem necesse est fateri, deum vel deos, quos Plato ab Ideis mythice tantum distinxit, nihil aliud quam Ideas ipsas allegorice exprimere.

Quam sententiam iterum confirmare possumus, si principium deo oppositum consideremus; hoc enim Plato, sicut deum *patrem* mundi, *matrem* mundi vocat [51 A], quam loquendi formam allegoricam esse et similitudinis vice intellegendam, antea monuit [50 D]. Jam autem duo causarum genera discrevit, quorum rationi alterum, alterum necessitati tribuit [47 E, 48 A] :

ad rationem scilicet causas *divinas*, hoc est Ideas, ad necessitatem vero materiales causas retulit [68 E]. Ratio itaque, seu deus ipse, vel etiam divina ratio [cf. *Phil.* 30 D], nihil aliud quam mythica Idearum nomina sunt.

Non dei unius et solius mundus totus opus est, sed deorum quoque aliorum, qui a summo deo creati sunt. Quo loco dii isti inducantur valde notandum est : Plato enim diversa animantium genera, quæ mundum complere et perficere debent, sic enumerat :

Εἰσὶ δὴ τέτταρες, μία μὲν οὐράνιον θεῶν γένος, ἄλλη δὲ πτηνὸν καὶ ἀεροπόρον, τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος, πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον. [*Tim.* 39 E — 40 A.

ita ut quatuor hæc genera quatuor elementis plane respondeant. Dii igitur isti nihil aliud quam ignea animalia sunt, ætheris incolæ, astra scilicet, ut ex sequentibus verbis patet :

Τοῦ μὲν οὖν θείου τὴν πλείστην ἰδέαν ἐκ πυρὸς ἀπηργάζετο, ὅπως ὅ τι λαμπρότατον ἰδεῖν τε κάλλιστον εἴη.... [40 A.

Quin etiam terra quoque ipsa *dea* vocatur [40 C]. Itaque dii omnes creati sunt, corpore præditi et sensibus objecti :

περὶ θεῶν ὁρατῶν καὶ γεννητῶν. [40 D.
πάντες... οἱ θεοὶ γένεσιν ἔσχον. [41 A.

quod cum æterna, immobili et invisibili deorum natura parum consonat [*Tim.* 28 A, C, cf. *Phæd.* 80 A]; sed tanto magis probat, in talibus locis deos allegorice pro Ideis usurpari.

Cur autem astra cœlestia Plato *deos* nuncupaverit, facile intellegitur : nam vulgari et antiquæ religioni obsequi voluit [v. *Crat.* 397 CD. *Leg.* 886 A], cui quamvis ipse minime crederet [*Leg.* 886 D], quippe qui omnia corporea et visibilia non per se, sed per ideas tantum esse censeret [*Tim.* 28 A, cf. *Phæd.* 79], vulgatum tamen loquendi usum ironice sequi solebat [*Resp.* 508 A; *Leg.* 683 C, 809 C, 821 B, C, 950 D].

De solemnibus vero diis, qui Olympici vocantur, Plato hæc sane miranda scripsit :

Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμόνων εἰπεῖν καὶ γνῶναι τὴν γένεσιν μεῖζον ἢ καθ' ἡμᾶς, πειστέον δὲ τοῖς εἰρηκόσιν ἔμπροσθεν, ἐκγόνοις μὲν θεῶν

οὖσιν, ὡς ἔφασαν, σαφῶς δέ που τούς γε αὑτῶν προγόνους εἰδόσιν· ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν, καίπερ ἄνευ τε εἰκότων καὶ ἀναγκαίων ἀποδείξεων λέγουσιν.... [*Tim.* 40 DE ; cf. *Leg.* 948 B.

Quæ verba summa ironia redundant; nam quanta poetis et antiquis, *deorum filiis*, fides habenda sit jam novimus (v. cap. I). Deos autem invisibiles multo minus quam visibiles, astra videlicet, Plato veneratur, et ironica tantum reverentia colendos esse arbitratur [*Tim.* 41 A, *Leg.* 931 A], ut legi aut consuetudini parere videatur :

τῷ νόμῳ πιστευτέον. [*Tim.* 40 E.

Denique mundum ipsum universum, quamvis creatum, visibile et motu præditum [37 C], *deum* quoque Plato vocat, non æternum quidem, sicut demiurgus unus est [*Tim.* 34 A B], sed sensibilem et generatum deum [*Tim.* 92 B, *Crit.* 106 A, *Leg.* 821 A], quia animal perfectum, et æterni intelligibilisque dei imago est [*Tim.* 32 D, 33 B, 37 D, 68 E, 92 B].

Hic vero locum hunc maxime notandum esse putamus, ubi mundum Plato sic designat :

τῶν ἀϊδίων θεῶν γεγονὸς ἄγαλμα. [*Tim.* 37 C.

Nam per *æternos* hos *deos* neque demiurgum, qui solus æternus est, nec reliquos deos, qui nondum creati sunt, Plato significare potuit : unde necesse est agnoscere, his verbis Ideas ipsas indicari, quas statim mundi exemplar nominat (παράδειγμα) [cf. 28 A, 29 A, D].

Ita sententia nostra etiam atque etiam confirmatur : verbum « deus » Ideas plerumque declarat, verbum autem « divinus », quidquid Ideas imitatur aut participat; quapropter mundus totus *deus* vocatur, quia pulcherrimus et perfectissimus, uno verbo, Ideis simillimus est [*Tim.* 29 A, 33 B, 34 A; cf. *Leg.* 897 D — 898 B]: et astra, quæ inter omnia corpora purissima materia et simplicissimo motu excellent, et Idearum naturam maxime referunt, ideo *dii* dicuntur. Nulla alia ratione intellegere licet, deorum nomen simul Ideis ipsis æternis, et rebus fluxis genitisque, quæ Ideis proximæ sint, a Platone impositum esse; quod nisi mythico aut allegorico sensu profecto fieri nequit.

CAPUT SEXTUM

DOCTRINA DE ANIMA MYTHICA EST

Maxima animæ cum diis affinitas est; nam, ut auctor dixit :

πάντων τῶν κτημάτων μετὰ θεοὺς ψυχὴ θειότατον.

[*Leg.* 726 : cf. 728 B.

Platonica igitur de anima doctrina nobis continuo perscrutanda est. Quam quidem mythicam esse ex his verbis ipsis jam suspicari licet; adde quod mythi plerique de animarum natura et sorte disserunt, et quod rursus animæ indoles plerumque in mythis aut mythicis locis describitur.

Omnis anima medium quoddam est inter rationem et corpus, id est, inter Ideas et materiam, ita ut ratio corpori inesse et præesse sine anima nequeat [*Tim.* 30 B, 46 D, *Phil.* 30 C] :

Διὰ δὴ τὸν λογισμὸν τόνδε, νοῦν μὲν ἐν ψυχῇ, ψυχὴν δὲ ἐν σώματι ξυνιστὰς [ὁ δημιουργὸς] τὸ πᾶν ξυνετεκταίνετο.... [*Tim.* 30 B.

Itaque ratio non animam totam, sed partem animæ efficit, et rursus anima non mera ratio est, verum Ideas tantum *participat* :

λογισμοῦ μετέχουσα καὶ ἁρμονίας ψυχὴ τῶν νοητῶν ἀεί τε ὄντων....

[*Tim.* 37 A.

Sed, quamvis anima *invisibilis* dicatur [*Tim.* 36 E, 46 D], non tamen corporis naturam omnino respuit, neque materiæ expers esse videtur : nam duobus principiis inter se contrariis conflatur [*Tim.* 35 A, 37 A], quod profecto necesse est, si quidem Ideas et materiam quodammodo copulare debet, ita ut corpus rationi pareat [*Phil.* 30 D], et mundus totus quasi

animal vivens et intelligens [*Tim.* 30 B] et *dei* demum nomine dignum fiat [*Tim.* 34 AB, 92 B].

Hæc omnia hucusque de anima mundana dicta sunt; sed eadem animarum singularum natura est, nec minus mythica : nam ex eodem *cratere* hauriuntur, ubi demiurgus antea principia ad animam mundi effingendam *miscuerat* [*Tim.* 41 D]; nisi quod deterior et minus pura est mixtio secunda, ex qua animas singulas efficit; unde conjicere licet, Ideas in illa, materiam contra in hac prævalere : nihil enim præter hæc principia esse constat, nullamque rem extra eorum mixturam exsistere posse.

Eo magis mirandum est, ex ista pejore mixtione unam tantum animæ humanæ partem, rationem scilicet, formari, ceteras vero partes, utpote inferiores, a diis minoribus atque creatis componendas esse [*Tim.* 42 D]. Prima enim pars, quam demiurgus diis ceteris tradit, his verbis indicatur :

θεῖον... ἡγεμονοῦν τε.... [*Tim.* 41 C.
ἀθάνατον ἀρχὴν θνητοῦ ζῴου.... [42 E; cf. 69 C.
τὸ θειότατον τῶν ἐν ἡμῖν.... [88 B.
τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον.... [90 D.

Illam dii inferiores in capite collocant [43 A, 44 D, 85 A]; quapropter hoc Plato vocat

τὴν τοῦ θειοτάτου καὶ ἱερωτάτου... οἴκησιν, [45 A.

et simili ratione caput in corpore dicit esse

θειότατόν τε... καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων δεσποτοῦν. [44 D.

Itaque *immortalis* illa et *divina* animæ pars in nobis imperare debet, ut philosophicam degamus vitam; nam, si contra eveniat,

ἀφιλόσοφον καὶ ἄμουσον πᾶν ἀποτελοῖ τὸ γένος, ἀνυπήκοον τοῦ θειοτάτου τῶν παρ' ἡμῖν. [73 A; cf. 88 B.

Eamdem sententiam iisdem fere verbis in mythica alia oratione Plato protulit [*Resp.* 589 DE, 590 D].

Non autem *divina* tantum illa pars dicitur, sed etiam *dæmon* vel *deus* interdum vocatur :

αὐτὸ δαίμονα θεὸς ἑκάστῳ δέδωκε. [*Tim.* 90 A.

Propterea *beatus* dicitur quicumque dæmoni illi inservit et obsequitur :

ἅτε δὲ ἀεὶ θεραπεύοντα τὸ θεῖον ἔχοντά τε αὐτὸν εὖ κεκοσμημένον τὸν δαίμονα ξύνοικον ἐν αὑτῷ διαφερόντως εὐδαίμονα εἶναι. |90 C.

Magis etiam expresse Plato mythicum hujus sententiæ sensum aperuit :

ψυχὴ.... νοῦν μὲν προσλαβοῦσα ἀεὶ θεὸν ὀρθῶς θέουσα, ὀρθὰ καὶ εὐδαίμονα παιδαγωγεῖ πάντα.... |*Leg.* 897 B.

Quapropter postea sapientes et ratione præditæ astrorum animæ *dei* nuncupantur [899 A, B]. Nihil igitur *deus* ille seu divina animæ pars est nisi ratio ipsa, hoc est Ideæ menti humanæ insitæ; unde etiam atque etiam patet, Ideas allegorice *deos* vocari, animamque divinam esse, quoad Ideas participat.

Quæ contra sit mortalis humanæ animæ pars, facile dignoscitur [*Tim.* 69 CD]. Duas autem facultates in ea Plato distinguit, quarum alteram τὸ μετέχον τῆς ψυχῆς ἀνδρείας καὶ θυμοῦ, alteram τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν γένος nominat [*Tim.* 70 A]. Illas igitur animæ partes hic agnoscimus, quas in *Republica* et in *Phædro* Plato jam discrevit, et quæ θυμός et ἐπιθυμία vocari solent [v. *Remp.* 439 DE sqq.]. Priorem vero in pectore [*Tim.* 69 E, 70 A] posteriorem in ventre collocat [70 DE], ut illa, in medio posita, rationi obediat et cupiditatibus imperet [70 A; cf. *Remp.* 441 A].

Quæ omnia fabulosa esse auctor ipse mox his verbis declarat :

Τὰ μὲν οὖν περὶ ψυχῆς, ὅσον θνητὸν ἔχει καὶ ὅσον θεῖον, καὶ ὅπῃ, καὶ μεθ' ὧν, καὶ δι' ἃ χωρὶς ᾠκίσθη, τὸ μὲν ἀληθές, ὡς εἴρηται, θεοῦ ξυμφήσαντος τότ' ἂν οὕτω μόνως διισχυριζοίμεθα. |*Tim.* 72 D.

Hoc unum e tota animæ figura ac compositione didacticum remanere videtur, eam Idearum participem esse, quatenus rationem habet :

ἡ γὰρ... οὐσία ὄντως ψυχῆς οὖσα κυβερνήτῃ μόνῳ θεατὴ νῷ. |*Phædr.* 247 C.

Quapropter anima Ideis cognata dicitur :

ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ τῷ ἀεὶ ὄντι.... |*Resp.* 611 E.

Simili ratione allegoricæ istæ locutiones :

ἡ τοῦ θεοῦ φύσις, τὸ ξυγγενὲς θεῖον. |*Crit.* 120 D, E.
φύσις θεία, ἡ τοῦ θεοῦ μοῖρα, |121 A.

interpretandæ sunt, neque alio modo illa θεῖα μοῖρα [*Prot.* 322 A, *Phædr.* 230 A, *Leg.* 875 C] intellegenda est : quæ omnia nihil præter Idearum communionem designant.

Denique, homo ipse, utpote ratione præditus, divinissimum animalium nominatur :

ζῴων τὸ θεοσεβέστατον... ἀνήρ. |*Tim.* 41 E, 42 A; cf. *Leg.* 902 B.
ἄνθρωπος... θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῷον. |*Leg.* 766 A.

Quid vero mythicæ hujus modi sententiæ significent :

ὁ ἄνθρωπος... διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζῴων μόνον θεοὺς ἐνόμισε, |*Prot.* 322 A; cf. *Leg.* 899 D.

nunc facile perspicitur, nam hoc unum animæ humanæ proprium ac peculiare tribuitur, Ideas contemplatam esse earumque meminisse [*Phædr.* 249 B].

CAPUT SEPTIMUM

REMINISCENTIA MYTHICA EST

Verum hæc ipsa « contemplatio » mythica est, neque igitur minus ista « reminiscentia », qua Ideas olim contemplatas recordamur. Quid enim in illa Idearum intuitione intellegendum sit, Plato in eodem loco statim declarat :

δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον, ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων εἰς ἓν λογισμῷ ξυναιρούμενον. [*Phædr.* 249 B.

Continuo autem hæc subjungit :

τοῦτο δέ ἐστιν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἅ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ συμπορευθεῖσα θεῷ καὶ ὑπεριδοῦσα ἃ νῦν εἶναί φαμεν, καὶ ἀνακύψασα εἰς τὸ ὂν ὄντως. [249 C.

quæ omnia mythica sunt, ut ex allegorica verborum virtute affatim elucet. Ergo, cum revera Ideæ neque oculis neque sensibus ullis subjectæ sint, æque fabulosum est, nos in temporis puncto supra cæli fornicem eas « conspexisse », et divini illius spectaculi nunc in terrestri vita « reminisci ».

Eamdem sane doctrinam Plato alibi exposuit, sed in locis haud minus mythicis. In *Menone* scilicet *famam* quamdam refert, cujus auctores sacerdotes quosdam et *divinos* poetas, Pindarum præcipue, appellat; quæ testimonia ad veritatem confirmandam parum valent, immo mythicam sententiæ, quam prolaturus est, virtutem jam denuntiant (cap. I). Tunc animam immortalem esse Plato asserit (de qua doctrina mox disseremus), et ita pergit :

Ἅτε οὖν ἡ ψυχὴ ἀθάνατός τε οὖσα καὶ πολλάκις γεγονυῖα, καὶ

ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε καὶ τὰ ἐν Ἅιδου καὶ πάντα χρήματα, οὐκ ἔστιν ὅ τι οὐ μεμάθηκεν. [*Men.* 81 C.

Quæ omnia mythica esse vel unum hoc verbum « ἑωρακυῖα » satis monstrat. Præterea hæc sententia cum *Phædri* mytho prorsus discrepat : hic enim *res universas*, non Ideas, anima in pluribus vitis experta est; neque autem in terrarum orbe, neque apud Plutonem Ideas « intueri » potuit, quæ supracælestem sedem in *Phædro* obtinent. Hæc igitur omnia plane fabulosa sunt.

Objiciet profecto aliquis, reminiscentiam a Platone in *Menone* et in *Phædone* didactice demonstratam esse. Sed quid vere ac proprie didacticum in utroque loco auctor confirmaverit, accurate disquirendum est. Illud autem duabus his sententiis continetur : veritatem neque sensibus attingimus, neque ab aliis accipimus; aliis verbis, neque experientia, nec disciplina Ideas cognoscimus, verum in mente nostra semper habemus et interdum invenimus. Cum vero Idearum cognitio sensibili perceptioni *allegorice* assimuletur, tum consequi videtur, nos antequam nasceremur eas quasi expertos esse, et in præsenti vita tantum recordari; unde duplicem hanc sententiam Plato colligit :

ἣν καλοῦμεν μάθησιν, ἀνάμνησίς ἐστιν. [*Men.* 81 E.
οὔ φημι διδαχὴν εἶναι, ἀλλ' ἀνάμνησιν. [82 A.

Quam sententiam in *Phædone* Cebes memorat ac repetit [72 E, 73 B]. Tum Socrates didactice probat, nos statim nascentes Idearum notitiam habere [74 E — 75 C, 75 D], quod jam per exemplum in *Menone* monstraverat, servi scilicet de Pythagoræ theoremate interrogati; haud semel enim animadvertit, se nihil puerum *docere* [82 B, E, 84 CD, 85 D], et præterea puerum talia nunquam didicisse [85 E].

Quæ vero in utroque dialogo ex illa sententia consequi videntur jam mythica sunt, quapropter parum inter se congruunt. Nam cum de Menonis servo hoc dixit :

τὴν ἐπιστήμην, ἣν νῦν οὗτος ἔχει, ἤτοι ἔλαβέ ποτε ἢ ἀεὶ εἶχεν....

ambas argumenti partes sic persequitur :

CAPUT SEPTIMUM

REMINISCENTIA MYTHICA EST

Verum hæc ipsa « contemplatio » mythica est, neque igitur minus ista « reminiscentia », qua Ideas olim contemplatas recordamur. Quid enim in illa Idearum intuitione intellegendum sit, Plato in eodem loco statim declarat :

δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι κατ' εἶδος λεγόμενον, ἐκ πολλῶν ἰὸν αἰσθήσεων εἰς ἓν λογισμῷ ξυναιρούμενον. |*Phædr.* 249 B.

Continuo autem hæc subjungit :

τοῦτο δέ ἐστιν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἅ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἡ ψυχὴ συμπορευθεῖσα θεῷ καὶ ὑπεριδοῦσα ἃ νῦν εἶναί φαμεν, καὶ ἀνακύψασα εἰς τὸ ὂν ὄντως. |249 C.

quæ omnia mythica sunt, ut ex allegorica verborum virtute affatim elucet. Ergo, cum revera Ideæ neque oculis neque sensibus ullis subjectæ sint, æque fabulosum est, nos in temporis puncto supra cæli fornicem eas « conspexisse », et divini illius spectaculi nunc in terrestri vita « reminisci ».

Eamdem sane doctrinam Plato alibi exposuit, sed in locis haud minus mythicis. In *Menone* scilicet *famam* quamdam refert, cujus auctores sacerdotes quosdam et *divinos* poetas, Pindarum præcipue, appellat; quæ testimonia ad veritatem confirmandam parum valent, immo mythicam sententiæ, quam prolaturus est, virtutem jam denuntiant (cap. I). Tunc animam immortalem esse Plato asserit (de qua doctrina mox disseremus), et ita pergit :

Ἅτε οὖν ἡ ψυχὴ ἀθάνατός τε οὖσα καὶ πολλάκις γεγονυῖα, καὶ

ἑωρακυῖα καὶ τὰ ἐνθάδε καὶ τὰ ἐν Ἅιδου καὶ πάντα χρήματα, οὐκ ἔστιν ὅ τι οὐ μεμάθηκεν. [*Men.* 81 C.

Quæ omnia mythica esse vel unum hoc verbum « ἑωρακυῖα » satis monstrat. Præterea hæc sententia cum *Phædri* mytho prorsus discrepat : hic enim *res universas*, non Ideas, anima in pluribus vitis experta est; neque autem in terrarum orbe, neque apud Plutonem Ideas « intueri » potuit, quæ supracælestem sedem in *Phædro* obtinent. Hæc igitur omnia plane fabulosa sunt.

Objiciet profecto aliquis, reminiscentiam a Platone in *Menone* et in *Phædone* didactice demonstratam esse. Sed quid vere ac proprie didacticum in utroque loco auctor confirmaverit, accurate disquirendum est. Illud autem duabus his sententiis continetur : veritatem neque sensibus attingimus, neque ab aliis accipimus; aliis verbis, neque experientia, nec disciplina Ideas cognoscimus, verum in mente nostra semper habemus et interdum invenimus. Cum vero Idearum cognitio sensibili perceptioni *allegorice* assimuletur, tum consequi videtur, nos antequam nasceremur eas quasi expertos esse, et in præsenti vita tantum recordari; unde duplicem hanc sententiam Plato colligit :

ἣν καλοῦμεν μάθησιν, ἀνάμνησίς ἐστιν. [*Men.* 81 E.
οὔ φημι διδαχὴν εἶναι, ἀλλ' ἀνάμνησιν. |82 A.

Quam sententiam in *Phædone* Cebes memorat ac repetit [72 E, 73 B]. Tum Socrates didactice probat, nos statim nascentes Idearum notitiam habere [74 E — 75 C, 75 D], quod jam per exemplum in *Menone* monstraverat, servi scilicet de Pythagoræ theoremate interrogati; haud semel enim animadvertit, se nihil puerum *docere* [82 B, E, 84 CD, 85 D], et præterea puerum talia nunquam didicisse [85 E].

Quæ vero in utroque dialogo ex illa sententia consequi videntur jam mythica sunt, quapropter parum inter se congruunt. Nam cum de Menonis servo hoc dixit :

τὴν ἐπιστήμην, ἣν νῦν οὗτος ἔχει, ἤτοι ἔλαβέ ποτε ἢ ἀεὶ εἶχεν....

ambas argumenti partes sic persequitur :

Οὐκοῦν εἰ μὲν ἀεὶ εἶχεν, ἀεὶ καὶ ἦν ἐπιστήμων· εἰ δὲ ἔλαβέ ποτε, οὐκ ἂν ἔν γε τῷ νῦν βίῳ εἰληφὼς εἴη. | *Men.* 85 D.

et priorem sententiam amplectitur, nam mox dicit :

ἆρ' οὖν τὸν ἀεὶ χρόνον μεμαθηκυῖα ἔσται ἡ ψυχὴ αὐτοῦ; | 86 A.

In *Phædone* contra, postquam dilemma idem Socrates proposuit :

δυοῖν τὰ ἕτερα, ἤτοι ἐπιστάμενοί γε αὐτὰ γεγόναμεν καὶ ἐπιστάμεθα διὰ βίου πάντες, ἢ ὕστερον, οὕς φαμεν μανθάνειν, οὐδὲν ἀλλ' ἢ ἀναμιμνήσκονται οὗτοι, καὶ ἡ μάθησις ἀνάμνησις ἂν εἴη. | *Phæd.* 76 A.

ita ut reminiscentia perpetuæ scientiæ opponatur, secundam eligit sententiam, nos scilicet scientiam olim acceptam amisisse : nam si veritatem semper haberemus, scientiæ nostræ rationem reddere possemus, quod fere nullus callet [76 B]. Necesse est igitur nos quondam veritatem didicisse et rursus oblitos esse; cum vero in natali ipso tempore scientiam amittere videamur, nos eam prius adeptos esse fatendum est [76 CD]. Res enim recordari quas antea obliti sumus, hoc vocatur proprie *reminisci* [cf. *Phil.* 34 BC, ubi reminiscentia a memoria continua discernitur].

Itaque per reminiscentiæ mythum Plato non tam scientiam quam ignorantiam explicare conatus est; non quomodo veritatem adipiscamur, verum quomodo eam amittamus; non quomodo scientiam aliquam habeamus, sed quomodo absoluta et perfecta scientia non fruamur. Jure igitur « oblivionis » potius quam « reminiscentiæ » mythus ille nominaretur.

Verum hoc maxime Plato per illum mythum enodare voluit, cur scientiam quam non habemus, quærere et reperire possimus : neque alio modo sophisticæ illi et, ut ait ipse, « eristicæ » quæstioni respondere licebat, scilicet : « Num quis quidquam quærere possit? Non enim quærit quod scit, quia scit; neque quod nescit, quia id omnino ignorat; ergo nihil quærere potest » [v. *Men.* 80 E]. Sophistæ enim, Eleaticam scholam secuti, nihil inter scientiam perfectam et absolutam ignorantiam medium admiserant. Per memoriæ similitudinem

Plato scientiam quamdam imperfectam et inchoatam esse monstrat, qua quisque utitur ad scientiam perfectiorem adipiscendam, ita ut veritatem et investigare et discere possit :

τὸ γὰρ ζητεῖν καὶ τὸ μανθάνειν ἀνάμνησις ὅλον ἐστίν. | *Men.* 81 D.

Quapropter hoc unum vere didacticum e toto mytho Socrates deducit ac retinet :

... δεῖν ζητεῖν, ἃ μή τις οἶδε. | *Men.* 86 B.

quo subtilia Menonis argumenta nimiumque scrupulum submovet.

Simili ratione per columbarii allegoriam [*Theæt.* 197 C] Plato patefecit, nos notitias, quas memoria tenemus, quodammodo simul habere et non habere; nam fieri potest, ut idem eamdem notionem, quasi columbam captivam, possideat (κεκτῆσθαι) et non teneat (ἔχειν).

Medium igitur quiddam inter scientiam et ignorantiam Plato invenit, veram scilicet opinionem, quæ scientiæ rudimentum et imago est, ejusque locum interim obtinet [*Men.* 97 A — C, 99; cf. *Pol.* 309 C; *Remp.* 477 AB, 478]. Opiniones ejusmodi servi ignorantis menti insitas esse Socrates monstrat, quibus fretus scientiam quærere et per gradus reperire valet :

Τῷ οὐκ εἰδότι περὶ ὧν ἂν μὴ εἰδῇ ἔνεισιν ἀληθεῖς δόξαι περὶ τούτων ὧν οὐκ οἶδεν. | *Men.* 85 C.

Quomodo autem opinio vera scientiam gignat, per Dædaleorum signorum allegoriam Plato explanat [*Men.* 97 DE]. Opiniones veræ, ratione alligatæ et stabilitæ, scientiæ fiunt :

Τοῦτο δ' ἐστίν.... ἀνάμνησις, ὡς ἐν τοῖς πρόσθεν ἡμῖν ὡμολόγηται. | *Men.* 98 A; cf. 86 A.

Opiniones illas, quæ interrogatione excitatæ et ratione confirmatæ scientiam efficiunt, Socrates ad lucem proferre et explorare callebat, quapropter se obstetricis artem exercere jocose profitebatur [*Theæt.* 149 — 151, 157 C, 160 E, 161 E, 184 B], eosque, qui tales opiniones in animo habebant, gravidos esse et parturire allegorice dicebat [*Theæt.* 148 E, 151 B, 210 BC], quia scientiæ

tantum fetum conceperant, nondum autem eam pepererant [cf. *Men.* 82 E, 84 A — D].

Opinio tamen illa, quamvis cæca et rationis expers, nos veritatem quærere et appetere cogit : unde amor philosophicus oritur, qui, cum inter scientiam et ignorantiam, inter Ideas et materiam, hoc est inter ens et non-ens medium constituat, Ideas quarum simul indigus et particeps est desiderat, et scientiæ qua caret cupidus est [*Conv.* 204 AB]. Ideo nec sapiens neque ignorans dicitur Amor, verum philosophus (φιλόσοφος). Nihil igitur aliud Amor ille allegorice significat quam opinionem veram sine ratione [*Conv.* 202 A; cf. *Remp.* 477 A, 478 D]. Quapropter reminiscentia quoque amoris causa esse videtur, quippe quæ opinionum istarum fons dicatur [*Phædr.* 249 D, 250 C]; et hominum, philosophorum præcipue, animæ parturire dicuntur, quia scientiam gignere cupiunt [*Conv.* 206 C, 209 B].

Præterea, cum omnium animarum eadem condicio sit, Ideas scilicet simul ac materiam participare, ita ut veritatem semper appetant neque unquam totam et puram adipiscantur, ipsam animæ naturam Amor mythice exprimit, quam e duobus principiis contrariis invicem mixtis conflatam esse in *Timæo* comperimus (v. cap. VI). Idcirco Amor, utpote deorum et hominum interpres, *dæmon* quoque vocatur, et mundum universum vinculis alligare dicitur [*Conv.* 202 E; cf. *Tim.* 36 DE]. Quin etiam illi omnia divinationis, id est opinionis cæcæ, genera addicuntur [*Conv.* 203 A], quæ eadem *mortali et irrationali* animæ parti, circa jecur sitæ, tribuuntur [*Tim.* 71 E — 72 B]. Itaque reminiscentiæ mythus cum ceteris de anima aut de Amore mythis aptissime cohæret et omnino congruit.

Cum vero Amor mundanæ quoque animæ imago sit, reminiscentia mundus ipse totus allegorice præditus est [*Pol.* 273 B], quod etiam atque etiam monstrat, reminiscentiam prorsus mythicam esse : quis enim mundi animam ante ejus ortum exstitisse, Ideasque supra cælum in deorum pompa lustravisse (sicut in *Phædri* mytho humanæ animæ) contendere audeat? Quod si talia de mundi anima asserere ridiculum nimis et plane absurdum foret, haud minus ineptum esset eadem humanæ

animæ imputare, quæ eamdem naturam habet et elementis iisdem composita est [vid. *Tim.* 41 D sqq.]. Nullo igitur modo necesse est, animam nostram ante hanc vitam exstitisse, ut Ideas intueretur earumque postea recordaretur; sed hoc unum e toto reminiscentiæ mytho didacticum relinquitur, Ideas animæ nostræ semper et ex omni ævo, utpote æternas, inesse.

CAPUT OCTAVUM

IMMORTALITAS ANIMÆ MYTHICA EST

A : IN *Menone* ET *Phædone*.

Immortalem esse hominis animam in mythico *Menonis* loco Plato primum asseruit, quod in novissimo capite animadvertimus. Haud enim his verbis hærere possumus, quibus doctrinam illam veram esse auctor contendit :

λόγον.... ἀληθῆ, ἔμοιγε δοκεῖν, καὶ καλόν. [81 A.
ᾧ ἐγὼ πιστεύων ἀληθεῖ εἶναι.... [81 E.

nam iisdem prope verbis fabularum merarum veritatem affirmare alias ausus est [*Gorg*. 523 A, 524 AB; cf. cetera loca in cap. I citata]. Itaque hæc ipsa verba mythicam fore sententiam illam nuntiant, nedum didacticam esse demonstrent.

Præterea, immortalitas animæ cum reminiscentia congruit : nam primo ex immortalitate reminiscentia consequi videtur [*Men*. 81 C, *loc. in cap. VII cit.*]; postea rursus e reminiscentia auctor immortalitatem deducit [86 AB; *v. infra*]. Simili ratione in *Phædri* cap. XXIV immortalitas ad reminiscentiam explicandam suscipitur; at vicissim in *Phædone* reminiscentia ad immortalitatem probandam arcessitur [cap. XVIII sqq]. Necesse igitur est, ut doctrinæ ambæ aut mythicæ aut didacticæ simul unaque sint. Reminiscentiam autem mythicam esse jam patet; ergo omnia de animæ immortalitate placita æque mythica sunt.

Nequaquam vero nos fugit, Platonem in *Phædone* toto immortalitatem animæ demonstrare videri vel conari. Sed

mythica hujus dialogi natura ac species nunquam satis intellecta est : quam tamen magnopere attendendam et nunc patefaciendam esse censemus.

In ipso dialogi prooemio, Socrates *fabellam* de voluptatis et doloris necessitudine adumbrat [60 C]. Tum se in carcere *poemata* composuisse et *fabulas* Æsopicas carmine condidisse dicit (cf. cap. II), quamvis minime mythologus sit [60 D — 61 C]. Deinde Evenum Parium *poetam* se sequi jubet, siquidem sapiens est : nam philosophus libenter moritur, et mortem appetit. Quam sententiam cum Cebes miretur, quippe qui mythicum ejus sensum parum intellexerit [cf. 64 B], Socrates Pythagoræa placita memorat [61 D, E] et hæc subjungit :

Ἀλλὰ μὴν καὶ ἐγὼ ἐξ ἀκοῆς περὶ αὐτῶν λέγω · ἃ μὲν οὖν τυγχάνω ἀκηκοώς, φθόνος οὐδεὶς λέγειν. [61 D.

quæ verba « ἀκοή, ἀκηκοώς » fabulosas semper sententias nuntiant. Denique Socrates sibi et discipulis proponit :

διασκοπεῖν τε καὶ μυθολογεῖν περὶ τῆς ἀποδημίας τῆς ἐκεῖ. [61 E.

ita ut mythicam totius dialogi virtutem aperte prænuntiet, qui « confabulationibus » potius quam dialecticis disputationibus peragitur. Et revera, ut vim sibi inferre nefas esse confirmet, mysteria quædam memorat secretasque doctrinas :

Ὁ μὲν οὖν ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι.... [62 B.

Mox sententiam in mysteriis frequentatam allegorico sensu Plato usurpat :

Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ. [67 B.

ita ut omnia quæ de anima purificanda præcepit mythica esse videantur [67 C, D, 69 B, C]. Ibidem alias e mysteriis sententias expressis verbis auctor deprompsit :

Καὶ κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταστήσαντες οὐ φαῦλοι εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι.... [69 C.

Cur vero veteres poetas et sacerdotes ænigmatice locutos esse fingat, jam enucleavimus, scilicet quo facilius eorum sen-

tentiam convertat et iisdem placita sua addicat (cf. cap. I). Præterea eadem allegorica sententia in *Gorgia* [493 A, C] invenitur. In eodem loco legimus :

> Εἰσὶν γὰρ δή, ὥς φασιν οἱ περὶ τὰς τελετάς, ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί, βάκχοι δέ τε παῦροι.... [69 C.

quam sententiam auctor statim interpretatur :

> οὗτοι δ' εἰσὶν κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν οὐκ ἄλλοι ἢ οἱ πεφιλοσοφηκότες ὀρθῶς. [69 D.

Philosophiam igitur mysteriis, haud secus ac Diotima in *Convivii* mytho [210 A], per jocum Socrates hic assimulat.

Ita pedetentim quæstionem de animæ immortalitate auctor induxit. Ne vero procemium dialogi solum mythicum esse putemus, ipse nos monere curavit, totam disputationem mythicam fore :

> ἢ περὶ αὐτῶν τούτων βούλει διαμυθολογῶμεν, εἴτε εἰκὸς οὕτως ἔχειν εἴτε μή; [70 B.

Verbum εἰκὸς maxime notandum est, quippe quod verisimilitudinem mythorum propriam designare soleat [cf. *Tim.* 29 CD, *et passim*]. Præterea Cebes Socrati respondet :

> Ἔγωγε οὖν ἡδέως ἂν ἀκούσαιμι, ἥντινα δόξαν ἔχεις περὶ αὐτῶν.

quibus verbis *opiniones* tantum se prolaturum esse Plato significat : opinionem autem veritati, ut semper, ita in hoc ipso dialogo opposuit [83 D, 84 A; cf. *Remp.* 477 A, 478 D, etc.]. Jam antea Cebes dixerat :

> ἀλλὰ τοῦτο δὴ ἴσως οὐκ ὀλίγης παραμυθίας δεῖται καὶ πίστεως.... [70 B.

Novimus autem πίστιν ἀληθείᾳ utique contrariam esse [*Tim.* 29 C; cf. *Remp.* 534 A] ita ut locutio ipsa supra citata : πιστεύω ἀληθῆ εἶναι, non veram plane seu didacticam, sed mythicam sive allegoricam doctrinam denuntiet [Cf. *Men.* 81 E, *Gorg.* 524 AB].

Non igitur mirum est, Socratem in ipso disceptationis exordio mythicam de inferis opinionem referre :

> παλαιός... λόγος, [70 C.

et sub argumenti finem de mysteriis rursus mentionem facere :

> ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμυημένων.... [81 A.

verba autem sequentia : ὡς ἀληθῶς... non jam nos offendere possunt. Tum quoque redeunt mysticæ illæ sententiæ de corpore animæ carcere et de anima solvenda ac purificanda [82 B, 83 D; cf. 62 B, 67, 69].

Denique, in ipsius mythi procemio solemnia sacra Socrates pro argumento assumit [108 A]; hoc sane mythicum est, sed nihilo magis quam cetera mystica placita per totum dialogum relata; quod etiam atque etiam monstrat, dialogum hunc totum, nec tantum ultimam ejus partem, mythicum esse. Ideo nullum inter mythum et reliquum dialogum discrimen, sicut in *Gorgia*, reperitur, quia scilicet jam ab initio in fabulosis sermonibus versamur.

Præterea, multæ facetiæ mythicam *Phædonis* virtutem denuntiant : quæ eo magis mirandæ sunt, et lectorem jure offendere possint, quod in gravissima quæstione et in funestissimo die usurpantur. Exempli gratia, Socrates verbis ἀειδές et Ἅιδης haud semel illudit [80 D, 81 C; cf. *Gorg.* 493 B, *Crat.* 404 B]; Harmoniam Thebanam necnon Cadmum cavillatur [95 A], Homeri carmina vel alludit vel citat [94 D, 95 A, B], Phædonis crines demulcet, eumque suadet, ut pulchram comam devoveat, si oratio pereat et reviviscere nequeat [89 B], quam loquendi formam de fabulis usitatam esse novimus [lib. I, cap. V, § VIII]. Tum quoque proverbium de Hercule et Iolao per jocum memorat [89 C], quæ omnia parum seriæ disputationis indicia sunt.

Alias Socrates se ipsum cycnis, sacris Apollinis avibus, poetice et lepide æquiparat, et ejusdem dei servum, ideoque vatem, esse profitetur [84 E — 85 B]; quod nihil significat nisi Socratem *vaticinari*, id est opiniones sine scientia exponere : nam divinationem totam in opinionibus cæcis versari, et vates omnes, utpote rationis expertes, veritatem per figuras tantum et mythos intueri et proferre satis constat [*Men.* 99 B — D, *Conv.* 202 E, *Tim.* 71 E].

Jam antea Socrates se discipulos *incantaturum* promisit : nam

cum eos tanquam pueros mortem reformidantes increpuit, Cebes subridens ei objicit :

ἀλλ' ἴσως ἔνι τις καὶ ἐν ἡμῖν παῖς, ὅστις τὰ τοιαῦτα φοβεῖται....
[77 E.

cui Socrates sic respondet :

ἀλλὰ χρὴ ἐπᾴδειν αὐτῷ ἑκάστης ἡμέρας, ἕως ἂν ἐξεπᾴσητε. [*Ibid.*

Cebes vero se nullum unquam alium ἐπῳδόν, Socrate mortuo, inventurum esse confidit, qui terrores illos pueriles ac cæcos *incantare* calleat [78 A]. Jam autem animadvertimus mythos sæpe cantibus assimulari, et ἐπῳδάς vocari [*Leg.* 887 D, 903 B]. Eodem verbo, nec sine consilio, Socrates mytho jam peracto utitur :

χρὴ τὰ τοιαῦτα ὥσπερ ἐπᾴδειν ἑαυτῷ, διὸ δὴ ἔγωγε καὶ πάλαι μηκύνω τὸν μῦθον. [114 D.

ita ut manifestum fiat, mythum illum ad puerum, qui in quoque nostrum latet, solandum et oblectandum narrari.

Denique doctrinam de immortalitate animæ minime certam, hoc est didacticam, esse vel unum hoc verbum probare valet :

καλὸς ὁ κίνδυνος.... [114 D.

Quid vero hoc verbo Plato proprie intellexerit, operæ pretium erit inquirere. Non enim *periculum*, sicut in alio *Phædonis* loco [107 C], sed *aleam* significat, ut e præcedenti verbo κινδυνεῦσαι patet. Jam antea Glauco talia dixit : Cum *veritatem* de vita futura cognoscere, et scientiam (quæ infra « divina ratio » vocatur) adipisci nequeamus, optima saltem « humanarum rationum », hoc est opinionum, eligenda est, et in illa, quasi in rate, periclitandum [85 C D]; quod affatim monstrat Socratem opiniones tantum sine ratione nec scientia certa prolaturum, ideoque per fabulas et allegorias locuturum esse. Nam in verisimilibus, scilicet mythicis, doctrinis tantum *periclitandum* est : διακινδυνευτέον [*Tim.* 72 D]. Quapropter mytho enarrato Socrates hæc subjungit :

Τὸ μὲν οὖν τοιαῦτα διισχυρίσασθαι οὕτως ἔχειν,... οὐ πρέπει νοῦν ἔχοντι ἀνδρί · ὅτι μέντοι ἢ ταῦτ' ἐστὶν ἢ τοιαῦτ' ἄττα... τοῦτο καὶ πρέπειν μοι δοκεῖ καὶ ἄξιον κινδυνεῦσαι οἰομένῳ οὕτως ἔχειν. [114 D.

unde sensus verbi κινδυνεῦσαι satis elucet : nam verbo διισχυρίσασθαι opponitur, tanquam opinio cæca et verisimilis scientiæ certæ et rationi (νοῦν ἔχοντι). Locus autem prior [85 C D] demonstrat, non solum mythum ultimum, sed totam de immortalitate doctrinam dubiam et parum perspicuam esse.

Sed quamvis *Phædo* totus mythicis sententiis refertus sit, dicet tamen fortasse aliquis immortalitatem animæ in eodem dialogo nihilominus didacticis rationibus demonstrari. Idcirco argumenta singula nobis perscrutanda sunt, ut patefaciamus, quid certi et vere didactici ex iis emanet.

Primum argumentum [70 C — 72 E] nihil probat, quia nimium probat : omnia enim quæ fiunt, e contrariis gigni, quamobrem, sicut mortuos e vivis, ita vivos rursus e mortuis nasci; unde consequitur, omnia quæ vivunt in ævum subsistere, neque homines tantum, sed etiam cuncta animalium et plantarum genera [70 D], quæ tamen animam immortalem nequaquam habent. [Cf. *Tim.* 77 AB, *Remp.* 441 B.]

Secundum argumentum [72 E—77 A] reminiscentiæ innititur : e mythicis vero præmissis mythica tantum conclusio deduci potest. Ambo autem priora argumenta parum firma esse Plato ipse declarat, et de utroque dubitare videtur; nam de priore hæc dixit :

εἰ δὲ μὴ ἔστι τοῦτο, ἄλλου ἄν του δέοι λόγου. [70 D.

de posteriore autem :

εἰ δὲ μὴ ἔστι ταῦτα, ἄλλως ἂν ὁ λόγος οὗτος εἰρημένος εἴη ; [76 E.

Præterea, secundum argumentum non valere auctor confitetur, nisi cum priore jungatur [77 C]; dubias vero præmissas incerta tantum consequuntur.

Tertii autem argumenti [78 B—80 D] hæc est conclusio et summa :

σώματι μὲν ταχὺ διαλύεσθαι προσήκει, ψυχῇ δὲ αὖ τὸ παράπαν ἀδιαλύτῳ εἶναι ἢ ἐγγύς τι τούτου. [80 B.

Non igitur semper et omnino indissolubilem esse animam Socrates demonstravit, quapropter hoc quoque argumentum

vanum atque irritum labitur, ideoque Simmiæ et Cebetis objectionibus ansam præbet [85 E—88 B], ita ut omnia præcedentia argumenta frustra adhibita esse videantur. Hoc unum e tota disputatione integrum remanet :

τὴν μάθησιν ἀνάμνησιν εἶναι. [91 E.

unde consentaneum est :

πρότερον ἡμῶν εἶναι τὴν ψυχήν, πρὶν ἐν τῷ σώματι ἐνδεθῆναι. [*Ibid.*; cf. 87 A.

Quæ sententia ad Pythagoricam de anima corporis harmonia doctrinam refellendam tantum hic retinetur [92 C—E]. Quid vero hæc mythica sententia proprie significet, jam antea explanatum est : nam cum Ideas revera et absolute esse concessum sit, inde sequitur :

οὕτως ὥσπερ καὶ ταῦτα ἔστιν, οὕτως καὶ τὴν ἡμετέραν ψυχὴν εἶναι καὶ πρὶν γεγονέναι ἡμᾶς... καὶ ἴση ἀνάγκη ταῦτά τε εἶναι καὶ τὰς ἡμετέρας ψυχὰς πρὶν καὶ ἡμᾶς γεγονέναι.... [76 E.

et iterum Simmias :

Ὑπερφυῶς... δοκεῖ μοι ἡ αὐτὴ ἀνάγκη εἶναι, καὶ εἰς καλόν γε καταφεύγει ὁ λόγος, εἰς τὸ ὁμοίως εἶναι τήν τε ψυχὴν ἡμῶν πρὶν γενέσθαι ἡμᾶς, καὶ τὴν οὐσίαν ἣν σὺ νῦν λέγεις. [77 A.

Hæc vero sententia nihil aliud significat, nisi animam sicut Ideas *æternam* esse, quoad Ideas ipsas cognoscit et participat : neque aliter in *Menone* immortalitas animæ reminiscentia assumpta probatur :

Οὐκοῦν εἰ ἀεὶ ἡ ἀλήθεια ἡμῖν τῶν ὄντων ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ, ἀθάνατος ἂν ἡ ψυχὴ εἴη. [*Men.* 86 A.

nam quid ἡ ἀλήθεια τῶν ὄντων significet, ex *Phædro* [248, 249 B] et e *Phædone* ipso [99 E] comperimus. Animæ igitur essentiam æternam Ideæ efficiunt, ut e sequenti loco affatim elucet :

Ἐρρήθη γάρ που οὕτως ἡμῶν εἶναι ἡ ψυχὴ καὶ πρὶν εἰς σῶμα ἀφικέσθαι, ὥσπερ αὐτῆς[1] ἔστιν ἡ οὐσία.... [92 D.

1. Mudgius, qui contra omnium codicum auctoritatem αὐτὴ scribere ausus est, necnon Wohlrabius et Schanzius, qui istam conjecturam receperunt, hoc unum probaverunt, se Platonis doctrinam parum intellexisse. [Cf. *Remp.* 611 B — 612 A.]

Præterea, quid mythica illa loquendi forma : « animam *ante* corpus exstitisse, » valeat, mox enucleabimus [cap. IX].

Denique ultimum *Phædonis* argumentum ad idem recidit : totum enim Idearum doctrinæ innititur, quam Socrates copiose exposuit [100 B—103 A; cf. 74 A sqq., 75 C, et præsertim 76 DE]. Deinde dicit Ideam quamque non solum contrariam Ideam in se non recipere, sed ab omni re, quæ ipsam participat, arcere et expellere : quamdiu igitur res quæque Ideam priorem participat, Ideam contrariam omnino respuit; itaque cum hæc adveniat, res illa aut recedit aut perit [102 DE, 103 A, D, 104 BC]. Anima vero vitæ Ideam participat, quippe quæ vitam corpori inducat, secundum vulgarem opinionem, quæ putat animam vitæ causam esse [105 C]. Anima igitur mortis Ideam omnino respuit, ergo mortis expers, id est, immortalis est [105 E].

Demonstrationem istam parum validam esse lector cautus facile deprehendit. Necesse enim est, cum mors advenit, animam *aut recedere aut perire* : nullo autem modo probatur, eam perire non posse. Nam, quod anima a corpore, quamdiu in eo adest, mortem arcet, non idcirco mortem ex semet ipsa omnino respuit. Argumenti imbecillitatem auctor ipse plane sensit, nam, quamvis Cebeti sufficiat [105 E], Socrates demonstrare pergit, animam non solum mortis expertem (ἀθάνατον), sed etiam immortalem (ἀνώλεθρον) esse, ideoque nunquam perire posse [106 AB]. Quod nisi verborum ambiguitate illi contingere nequit : haud enim, quia animæ essentia vitæ ideam implicat et mortis ideam excludit, anima quæque mortem *semper* effugit, sed tantum, *quamdiu* anima est et vitæ ideam propterea participat, *tamdiu* mortis ideam expellit, ergo mortis expers est (ἀθάνατος). Nequaquam vero inde consequitur, animam immortalem (ἀνώλεθρος), et nunquam perituram esse. Quod ex objectione ipsa, quam Socrates sibi proposuit, elucet [106 BC]. Nam, exempli gratia, nix semper frigida est, et, *prout nix*, calorem non admittit : unde consequitur, non quidem nivem nunquam calefieri posse, verum, igne vel calore admoto,

solvi ac perire. Simili ratione, anima, prout anima, vitam possidet et mortem respuit; morte autem adveniente, eam perire necesse est. Itaque Plato fallaciæ sibi plane conscius erat, et vitium argumenti ita perspexit, ut demonstrationem suam minime firmam sibi visam esse ipse confiteatur his verbis :

Οὐκοῦν καὶ νῦν περὶ τοῦ ἀθανάτου, εἰ μὲν ἡμῖν ὁμολογεῖται καὶ ἀνώλεθρον εἶναι, ψυχὴ ἂν εἴη, πρὸς τῷ ἀθάνατος εἶναι, καὶ ἀνώλεθρος· εἰ δὲ μή, ἄλλου ἂν δέοι λόγου. [106 CD; cf. 70 D, 76 E.

Denique si quis nos verba et argumenta Platonis subtilius interpretari et urgere putet, is caveat et videat, nos auctoris præceptum tantum secutos esse : nam Socrates ipse discipulos hortatur, ut doctrinæ suæ principia accurate et penitus inquirant [107 B].

CAPUT NONUM

IMMORTALITAS ANIMÆ MYTHICA EST

B : IN *Phædro* ET *Legibus*.

Eadem doctrina in *Phædro* et in *Legibus* aliis quidem argumentis demonstratur, quæ nobis accurate perscrutanda sunt. Hoc vero primum animadvertendum est, utrumque dialogum maxime mythicum, et, ut aiunt, *exotericum* esse; deinde, demonstrationem in *Phædro* prolatam mythi quasi procemium efficere, ita ut ipsa quoque mythica esse videatur. Nam in oratione prorsus mythica inseritur, quod ex ipso exordio patet, ubi Stesichorum auctor se imitari profitetur [244 A]. Tum de divino vatum furore disserit, quam doctrinam mythicam esse jam novimus, ut ex ipsis verbis et præsertim cavillationibus [244 C D] affatim elucet. Deinde, cum divinam amoris originem asseveret, quam in celeberrimo mytho poeticis allegoriis mox exponet, eam demonstrare prius conatur, et demonstrationem sic nuntiat :

ἡ δὲ δὴ ἀπόδειξις ἔσται δεινοῖς μὲν ἄπιστος, σοφοῖς δὲ πιστή. [245 C.

quibus verbis summa ironia plenis auctor confirmat, argumenta, quæ prolaturus sit, parum seria et valida esse. Tum animam, utpote se ipsam moventem, motus principium esse, motum vero perpetuum esse asserit : unde animam neque nativam neque mortalem esse facile concludit [245 C — 246 A]. Cur autem animam se ipsam movere contendat auctor sic explanat : corpus enim vivere, hoc est animatum esse, constat, quamdiu se ipsum

moveat; anima igitur motus corporis causa esse videtur, quapropter et motus et vitæ principium esse dicitur. Itaque eamdem vulgarem de anima vitæ causa opinionem Plato in hoc loco usurpavit, quam in ultimo *Phædonis* argumento jam reperimus. Denique ipsa hujus demonstrationis brevitas suspicioni locum aperit, præcipue cum de quæstione agatur, quam auctor ipse gravissimam et difficillimam esse prædicit, quod præterea de omnibus mythicis doctrinis dicere solet [*Phæd.* 95 E; *Leg.* 892 DE].

Nunc decimus *Legum* liber percensendus nobis restat, in quo simul deos esse et animam immortalem esse Plato demonstrare videtur. Utramque doctrinam parum severe proferri multa denuntiant : nam primo vulgarem et priscam astrorum religionem Clinias memorat, quam Plato ipse contemnit et irridet [*Leg.* 886 A; cf. *Tim.* 40—41]. Tum antiquos de deorum ortu mythos et poeticas fabulas Atheniensis hospes refert, Hesiodique et aliorum *Theogoniis* alludit, quas ironica reverentia propter antiquitatem prosequitur, sed tectis verbis ut inutiles et falsas vituperat [886 C; cf. *Remp.* 377 E sqq.]. Deinde recentiorum, scilicet physicorum et sophistarum, de terrestri astrorum natura opinionem refert, quæ pristinam istam religionem dissolvit et subruit [886 DE]. Mox impios homines hospes objurgare videtur, quia neque fabulis, quas infantes de diis audiverunt, neque omnium gentium consensui ac testimonio, quæ deos *et astra* adorant et colunt, fidem habeant [887 DE] : quibus verbis satis declarat, omnem religionem mythis constare, itaque falsam esse. Quin etiam iisdem Atheniensis irasci videtur, quod ab iis cogatur, ut contendat deos esse et humanarum rerum curam habere; quasi doctrinam istam tutari gravetur et refugiat [887 CD, 888 A]. Quapropter oratione suasoria, non didactica, eos aggreditur, et rationibus vulgaribus tritisque convincere conatur [888 A—D]. Quod disputandi genus, rhetoricum et vere forense, Plato semper vituperavit et aspernatus est [v. *Gorg.* 471 D — 472 C, 473 E — 474 A].

Quid autem Plato proprie intellexerit, cum deos esse contendat, e sequentibus apparet. Nam sophisticas inter legem et

naturam, inter artem et fortunam distinctiones repetit [888 E : cf. *Prot.* 337 D, *Gorg.* 482 E sqq., 489 AB], et sophistarum placita continuo refert, deos scilicet natura non esse nec revera existere, sed arte humana et lege tantum creatos esse; mundum autem natura et fortuna, non arte aut ratione compositum esse [889 E], ideoque injustitiam natura, justitiam contra lege meliorem esse [890 A; cf. *Remp.* 358 E sqq.]; unde jam elucet, religionem e Platonis sententia moribus maxime conferre. Quapropter sibi proposuit

τῷ παλαιῷ νόμῳ [intellege : μύθῳ] ἐπίκουρον γίγνεσθαι λόγῳ, ὡς εἰσὶ θεοί... καὶ δὴ καὶ νόμῳ αὐτῷ βοηθῆσαι καὶ τέχνῃ, ὡς ἐστὸν φύσει ἢ φύσεως οὐχ ἧττον [1].... [890 D.

Quid vero hæc novissima verba significent, statim declarat :

εἴπερ νοῦ γέ ἐστι γεννήματα κατὰ λόγον ὀρθόν....

mundum videlicet nec sponte neque fortuna ortum esse, verum *ratione*, hoc est Ideis, exstitisse et subsistere, quod Plato his verbis mythice transferre solet : mundum a diis creatum esse et gubernari. Quod Platonis sententia talis revera sit, hic locus affatim monstrat :

γεγεννηκέναι τόν τε οὐρανὸν ὅλον καὶ πάντα ὁπόσα κατ' οὐρανόν... οὐ διὰ νοῦν, φασίν [scil. οἱ φυσιόλογοι], οὐδὲ διά τινα θεὸν οὐδὲ διὰ τέχνην, ἀλλὰ... φύσει καὶ τύχῃ. [889 C.

Suam vero sententiam auctor in *Timæo* fuse exposuit, cum rationem et necessitatem, id est Ideas et materiam, in mundo formando invicem opposuerit et miscuerit [*Tim.* 47 E sqq.; cf. *Leg.* 967 A]. Hoc igitur contra Sophistas, qui deos esse negabant artemque natura posteriorem et *mortalem* esse contendebant [889 CD], probare voluit, rationem contra natura priorem atque æternam esse, animam igitur corpore antiquiorem esse et corpori præesse [892 AB]. Hæc est demum totius argumenti, quo Plato deos esse demonstrare videtur, finis et summa : mundum universum Ideis constare. Nunc tandem mythicam

1. ἧττονι ex *Hermanni* conjectura.

virtutem simul ac didacticum sensum hujus sententiæ intellegimus :

ψυχὴν πρεσβυτέραν οὖσαν σώματος. [892 C.
πρότερον ὂν ψυχὴν σώματος. [893 A.

Demonstrationem ipsam mythicam fore statim ab initio auctor monet, cum deos haud sine ironia exordiens invocat [cf. lib. I, cap. V, § I] :

ἐπί γε ἀπόδειξιν ὡς εἰσὶ τὴν αὐτῶν [scil. τῶν θεῶν] σπουδῇ πάσῃ παρακεκλήσθων. [893 B.

Demonstratio vero ista *Phædri* argumento, supra relato, simillima est (quod etiam probat *Phædri* argumentum mythicum esse); nam sic concluditur :

ἱκανώτατα δέδεικται ψυχὴ τῶν πάντων πρεσβυτάτη, φανεῖσά γε ἀρχὴ κινήσεως. [896 B.

Anima enim definita est : quod se ipsum movet [896 A; cf. *Phædr.* 245 E], quia nempe corpus se ipsum movet et vivere dicitur, quamdiu anima adesse videtur [895 C; cf. *Phædr.* 245 E]. Quod vero se ipsum movet motus omnis principium est [895 B; cf. *Phædr.* 245 CD]. Ergo anima rerum mobilium, fluxarum et *genitarum* antiquissima est; quod Plato haud semel professus est :

ψυχὴν ταὐτὸν ὂν καὶ τὴν πρώτην γένεσιν καὶ κίνησιν τῶν τε ὄντων καὶ γεγονότων καὶ ἐσομένων... ἐπειδή γε ἀνεφάνη μεταβολῆς τε καὶ κινήσεως ἁπάσης αἰτία ἅπασιν. [896 A.

ψυχὴν γένεσιν ἁπάντων εἶναι πρώτην. [899 C.

Eamdem sententiam Plato postea etiam verbis minime ambiguis repetit :

ψυχή... ὡς ἔστι πρεσβύτατον ἁπάντων ὅσα γονῆς μετείληφεν ἀθάνατόν τε, ἄρχει τε δὴ σωμάτων πάντων.... [967 D.

[ψυχή] πρεσβύτατόν τε καὶ θειότατόν ἐστι πάντων, ὧν κίνησις γένεσιν παραλαβοῦσα ἀέναον οὐσίαν ἐπόρισεν. [966 E.

quam mythicam sententiam auctor ipse continuo interpretatur :

τὸ περὶ τὴν φοράν... ἄστρων τε καὶ ὅσων ἄλλων ἐγκρατὴς νοῦς ἐστὶ τὸ πᾶν διακεκοσμηκώς. [*Ibid.*

Nihil igitur aliud sententia illa : « anima principium motus est et corpori præest », proprie significat, nisi mundum universum ratione regi, omnesque motus ordini et certis legibus parere [cf. *Tim.* 46 DE]. Quam sententiam Anaxagoras jam quasi per transennam adspexerat, non autem ad extremum prosecutus erat, ideoque a Platone simul laudatur et reprehenditur [*Leg.* 967 BC; cf. *Phæd.* 97 C sqq.; *Soph.* 265 C]. Nunc quoque intellegimus, cur Anaxagoræ doctrinam in *Phædone* Socrates memoret, cum de animæ immortalitate res agatur, eamque his verbis induxerit :

Οὐ φαῦλον πρᾶγμα... ζητεῖς · ὅλως γὰρ δεῖ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τὴν αἰτίαν διαπραγματεύσασθαι. [*Phæd.* 95 E.

quæ in *Legibus* rursus invenimus :

Ὃ πρῶτον γενέσεως καὶ φθορᾶς αἴτιον ἁπάντων [scil. ψυχήν].
[*Leg.* 891 E.

Ex omnibus his locis colligimus, animam genitam et mobilem esse, ideoque inter res fluxas numerandam esse : quapropter animæ natura ad physicam pertinet, nec nisi per mythos, sicut physica omnia, explanari potest. Animam enim haud minus quam corpus in dies mutari, nec nisi perpetuo rerum vicissim accedentium et abeuntium vertigine servari posse, Plato expresse docuit :

Καὶ μὴ ὅτι κατὰ τὸ σῶμα, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν ψυχὴν οἱ τρόποι, τὰ ἤθη, δόξαι, ἐπιθυμίαι, ἡδοναί, λῦπαι, φόβοι, τούτων ἕκαστα οὐδέποτε τὰ αὐτὰ πάρεστιν ἑκάστῳ, ἀλλὰ τὰ μὲν γίγνεται, τὰ δὲ ἀπόλλυται.
[*Conv.* 207 E.

neque tantum affectus, appetitus et opiniones, quæ ad irrationalem animæ partem attinent, in vices nasci et perire, sed etiam scientiam ipsam fluere auctor docet :

Πολὺ δὲ τούτων ἀτοπώτερον ἔτι, ὅτι καὶ αἱ ἐπιστῆμαι μὴ ὅτι αἱ μὲν γίγνονται, αἱ δὲ ἀπόλλυνται ἡμῖν, καὶ οὐδέποτε οἱ αὐτοί ἐσμεν οὐδὲ κατὰ τὰς ἐπιστήμας, ἀλλὰ καὶ μία ἑκάστη τῶν ἐπιστημῶν ταὐτὸν πάσχει. [208 A.

scilicet scientiam iisdem vicissitudinibus obnoxiam esse, quas per reminiscentiæ mythum philosophus explicare conatus est :

λήθη γὰρ ἐπιστήμης ἔξοδος, μελέτη δὲ, πάλιν καινὴν ἐμποιοῦσα ἀντὶ τῆς ἀπιούσης μνήμην, σῴζει τὴν ἐπιστήμην, ὥστε τὴν αὐτὴν δοκεῖν εἶναι. [*Ibid.*

Itaque anima tota, nec sola ejus irrationalis pars, quæ in *Timæo* « mortalis » vocatur, in mortalibus rebus collocatur :

Τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ πᾶν τὸ θνητὸν σῴζεται, οὐ τῷ παντάπασι τὸ αὐτὸ ἀεὶ εἶναι ὥσπερ τὸ θεῖον [Ideæ videlicet], ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπιὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐγκαταλείπειν οἷον αὐτὸ ἦν. [208 B.

Maxime vero animadvertendum est, animam ipsam haud secus ac corpus et ceteras genitas res Ideis opponi, prout mortalem æternis :

Ταύτῃ τῇ μηχανῇ... θνητὸν ἀθανασίας μετέχει, καὶ σῶμα καὶ τἆλλα πάντα · ἀδύνατον δὲ ἄλλῃ. [*Ibid.*; cf. 207 D.

Immortalitas autem ista, quæ non ad animam magis quam ad corpus et ceteras res pertinet, non hominis singuli, verum generis humani immortalitas est [*Conv.* 207 D; cf. *Leg.* 721 BC]. Caput igitur omne perit, sed genus servatur, vel potius semper redintegratur; nam sese renovando tantum Ideam suam imitari potest, æternitatem scilicet diuturnitate. Simili ratione anima quæque mortalis est, et cum corpore perit; sed anima universa, seu Idea animæ, immortalis, immo æterna est, quapropter animæ singulæ vicissim et in ævum renasci dicuntur. Neque alia ratione mythicus ille *Reipublicæ* locus interpretandus est, ubi Plato numerum animarum constantem esse asserit [*Resp.* 611 A; cf. *Phæd.* 72 B], quod nihil aliud significat, quam animarum omnium essentiam, hoc est Ideas, perennem, aut potius æternam esse :

ἀνώλεθρον δὲ ὂν τὸ γενόμενον, ἀλλ' οὐκ αἰώνιον, ψυχὴν καὶ σῶμα, καθάπερ οἱ κατὰ νόμον ὄντες θεοί · γένεσις γὰρ οὐκ ἄν ποτε ἦν ζῴων, ἀπολομένου τούτοιν θατέρου. [*Leg.* 904 A.

Eodem igitur sensu corpus et anima immortalitate fruuntur, si universam utriusque substantiam (materiam nempe et Ideas)

attendas; interitui contra ambo subjecta sunt, si singula animantia, corpore et anima composita, inspexeris.

Nunc mythica illa immortalitas, quæ hominis non propria est, facile intellegitur : eam enim animæ *participare* haud semel dicuntur [cf. *Conv.* 208 B] :

καθ' ὅσον... μετασχεῖν ἀνθρωπίνη φύσις ἀθανασίας ἐνδέχεται...
[*Tim.* 90 C.

et *veritas* quoque illa vocatur :

φρονεῖν... ἀθάνατα καὶ θεῖα, ἄνπερ ἀληθείας ἐφάπτηται.... [*Ibid.*
ἀληθείας ἄττα μετέχοντες. [*Leg.* 804 B; cf. 889 D.
τὸ τοῦ ἀεὶ ὁμοίου ἐχόμενον καὶ ἀθανάτου καὶ ἀληθείας. [*Resp.* 585 C.

quibus verbis procul dubio Plato Ideas designat, quas in *Phædone* sic vocat :

τὸ καθαρόν τε καὶ ἀεὶ ὂν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡσαύτως ἔχον....
[*Phæd.* 79 D.

τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ ἀεὶ ὡσαύτως κατὰ ταὐτὰ ἔχοντι ἑαυτῷ.... [80 B; cf. *Pol.* 269 D.

Ideas igitur immortalitas ista mythice exprimit, seu potius Idearum communionem, quod vel unum hoc verbum μετέχειν satis confirmat, quod Idearum participationem indicare solet. Ideæ enim animæ immanentes scientiam et virtutem in eadem gignunt : quapropter virtutis summam auctor ita definivit :

ὅσον ἐν ἡμῖν ἀθανασίας ἔνεστι, τούτῳ πειθομένους.... [*Leg.* 713 E.

Nunc etiam perspicimus, quid philosophus mythicis istis sententiis significare voluerit :

ξύμμαχοι... ἡμῖν θεοί τε ἅμα καὶ δαίμονες, ἡμεῖς δ' αὖ κτήματα θεῶν καὶ δαιμόνων. [906 A.

quam piam et religiosam sententiam in *Phædone* [62 B, 63 BC] sæpius repetit. Ne vero mysticam illam doctrinam ad litteram accipiamus, locus alter nos probe monet :

Θεῶν γε μὴν κτήματά φαμεν εἶναι πάντα, ὁπόσα θνητὰ ζῷα, ὥνπερ καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον. [*Leg.* 902 B.

nam de *cælo toto* aut de *mortalibus* animalibus nimis absurdum sit dicere, corporis carcerem effugiendum esse, ut anima eorum immortalis, materiæ vinculis soluta et libera, cælestem deorum sedem petat ibique virtutis præmio fruatur.

Denique, si immortalitas illa proprio sensu intellegenda esset, nunquam Plato ausus esset dicere, quædam *magis* aut *minus* immortalia esse :

καλλιόνων καὶ ἀθανατωτέρων παίδων κεκοινωνηκότες....
[*Conv.* 209 C.

neque civitatem quoque immortalitati magis aut minus propinquam esse :

γενομένη πως ἀθανασίας ἐγγύτατα.... [*Leg.* 739 E.

nec denique mundum ipsum universum immortalitatem vicissim acquirere et amittere, prout deus gubernacula mundi seu prehendat, seu relinquat :

τὸ ζῆν πάλιν ἐπικτώμενον καὶ λαμβάνοντα ἀθανασίαν ἐπισκευαστὴν παρὰ τοῦ δημιουργοῦ.... [*Pol.* 270 A.

κοσμεῖ τε καὶ ἐπανορθῶν ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται [ὁ θεός]. [273 E.

Sicut igitur mundus immortalitatem fictam recuperat, cum deo, id est Ideis, obsequitur, ita anima humana immortalitatem adipiscitur, *quoad* et *quamdiu* rationem possidet, aut Ideas participat. Locos novissime citatos singillatim enucleare supersedemus, adeo interpretatione nostra lucidi et perspicui fiunt; eamque rursus tuentur, quippe qui nullo alio modo intellegi queant.

CAPUT DECIMUM

VITA FUTURA MYTHICA EST

Doctrinam de immortalitate animæ mythicam esse, mythi ipsi, quos de infernis sedibus et de præmiis pœnisque post mortem Plato narravit vel potius finxit, satis denuntiant : omnes enim inter se discrepant, quod nunquam fieri posset, si auctor ullam didacticam virtutem talibus fabulis tribuisset. Interpretationem igitur nostram mythorum istorum recensio confirmabit, nam monstrabit, Platonem nullam seriam et sibi constantem de vita futura doctrinam professum esse.

In *Gorgiæ* mytho, animæ vita defunctæ, corporibus quasi nudæ, judicantur : malæ in Tartaro pœnas dant et vitiis purgantur; quæ autem nefanda scelera commiserunt, in ævum cruciantur, ut exemplo ceteris sint. Justorum contra animæ mittuntur in *Beatorum insulas* [523 B, 524 A], quarum in nullo alio mytho mentio fit, nisi in mythica Phædri oratione in *Convivio* habita [179 E, 180 B].

In *Phædonis* mytho, mediocres animæ in Acherusiam paludem merguntur; quæ autem inexpiabilia scelera perpetraverunt in Tartarum præcipitantur, unde nunquam exeunt; sanabiles vero animæ in Cocyto et Pyriphlegethonte castigantur. Bonæ contra animæ supra terræ superficiem (cujus homines concava tantum incolere Plato finxit) mittuntur; solæ philosophorum animæ corpore liberantur, et pulchriores etiam sedes in ævum obtinent.

In *Phædri* mytho, animæ justæ in cælum, injustæ vero sub terram mittuntur, ibique pro bene aut male meritis præmium

decuplum accipiunt aut decuplam pœnam pendunt. Post mille annos corpus novum eligunt et in vitam redeunt. Solæ animæ, quæ tres deinceps vitas in philosophia et in puro amore degerunt, alas recuperant et in cælum evolant.

In *Reipublicæ* mytho, omnes animæ, quæcumque meritæ sunt, decies eadem patiuntur, deinde sortem futuram libere eligunt: solæ tyrannorum animæ in Tartaro retinentur et in ævum puniuntur.

Itaque ex his quatuor mythis nullus alii consentit, quod probat, eos parum serio a Platone prolatos esse.

Dicet forte aliquis (utputa ZELLERUS) mythorum singula tantum differre, verumtamen omnes in hoc saltem convenire, scilicet animas post mortem manere, justas præmia accipere et injustas pœnas luere. — Quod ipsum, respondemus, parum certum Platoni visum est, utpote qui nunquam bis eamdem de vita futura, præsertim de præmiis ac pœnis, sententiam exposuerit.

Quin etiam, in *Timæo* nusquam de altera vita agitur : virorum animæ in hoc mundo semet ipsas castigant, cum inferiores vitæ formas secundum studia et vitia sua optent, et feminarum vel animalium corpora rursus induant. Quod ita facetum et ridiculum est, ut ZELLERUS ipse talia placita mythica esse confiteatur, in his saltem locis vehementem auctoris ironiam agnoscere demum coactus [1]. Haud igitur semper Plato vitam futuram professus est, quæ cum animarum migratione parum congruit; neque asserere licet, omnes mythos in summa concinere.

Non autem inter duos dialogos tantum talem repugnantiam deprehendimus, verum in uno eodemque dialogo, in *Phædone* scilicet. Nam, cum in mytho nulla animarum migratio statuatur, omnesque animæ apud Plutonem judicentur, justæ supra terram, injustæ autem in inferos mittantur, in alio loco [80—83] animæ justæ apud Plutonem solæ eunt et una cum diis habitant, injustæ autem, propter corporis consuetudinem et cupidinem, super terra remanent et circa sepulcra errant, donec corpus novum induant, quod solum earum supplicium est. Ambas istas

1. *Philosophie der Griechen*, II, 1, p. 697 ed. III^{a}.

doctrinas valde discrepare patet; quod Plato ipse animadvertit, nam in mythi initio eas conciliare tentat, cum dicat animam improbam dæmoni suo reluctari, sed tandem ægre ab eo in inferos vi abduci [108 B]. Ita repugnantiam nimis manifestam velare conatus est, quod illi parum contigit, nam eamdem potius verbis ipsis retexit.

Præterea Plato nullo modo vitam futuram admittere sine ingenti inconstantia potuit, quod e tota doctrina elucet, et ex sequentibus rationibus mox apparebit. Animam enim quamque indolem suam propriam, præsertim cum prava sit, post mortem servare necesse est, ut juste puniatur et pœna ipsa vitiis purgetur [*Gorg.* 522 E, 524 D, 525 B]. Quam sententiam in *Phædone* ipso repetit :

Οὐδὲν γὰρ ἄλλο ἔχουσα εἰς Ἅιδου ἡ ψυχὴ ἔρχεται πλὴν τῆς παιδείας τε καὶ τροφῆς, ἃ δὴ καὶ μέγιστα λέγεται ὠφελεῖν ἢ βλάπτειν τὸν τελευτήσαντα εὐθύς.... [*Phæd.* 107 D.

In *Timæo* contra didicimus, immortalem animæ partem in ratione sola, mortalem vero ex omnibus affectibus, quæ corporis communionem consequuntur, constare [*Tim.* 44 AB, 64 A, 69 D sqq., 80 B : cf. cap. VI]. Præterea, omnes animæ morbi, ignorantia scilicet et vitia, e corporis commercio manare dicuntur [*Tim.* 86 B]; necesse igitur est, animam vitiis et corpore una simulque expediri.

Hæc autem doctrina non in *Timæo* solo, verum in ipso *Phædone* invenitur. Quid enim prior dialogi pars tota docet, nisi animam, rationem præcipue, corpore in cogitando turbari et offuscari [65 A sqq.], corpus omnis erroris et vitii quoque causam esse [66 B sqq.]; quapropter verus philosophus animam a corpore sejungere quam maxime conatur [64 E — 65 A], ideoque libenter moritur [62 C], immo mortem quodammodo appetit et anticipat [64 A] :

Τῷ ὄντι ἄρα... οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἥκιστα αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. [*Phæd.* 67 E.

Haud igitur semel mors animam *liberare* et *purificare* dicitur [67 A, B, C, D; 69 B, C]. Neque in procemio tantum dialogi hanc

sententiam Socrates, sed in disputando quoque postea defendit :

ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα [ἡ ψυχή] καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου; [80 E — 81 A.

et placita de corpore cogitationis impedimento errorisque magistro [79 C sqq., 83 A sqq.], de anima per philosophiam purganda ac liberanda [82 D] fuse repetit. Quæ omnia, quamvis mythice aut allegorice exponantur, veram tamen et genuinam Platonis doctrinam tradere videntur.

Quid vero ex eadem doctrina consequatur, auctor ipse nos monet. Anima scilicet justi seu philosophi sola apud Plutonem ceterosque deos salva atque integra abit, quia et invisibilis ipsa est, et invisibiles res, hoc est Ideas, diligit :

Ἡ δὲ ψυχὴ ἄρα, τὸ ἀειδές, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀειδῆ, εἰς Ἅιδου ὡς ἀληθῶς, παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον θεόν.... [80 D.

Οὐκοῦν οὕτω μὲν ἔχουσα [ἡ ψυχή] εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ τὸ ἀειδὲς ἀπέρχεται, τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον..., ὡς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ τῶν θεῶν διάγουσα; [81 A.

Improbæ vero animæ eadem non contingunt :

Εἰς δέ γε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῷ ἀπιόντι οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι, ἀλλ' ἢ τῷ φιλομαθεῖ. [82 B.

et infra anima prava dicitur

οἵα μηδέποτε εἰς Ἅιδου καθαρῶς ἀφικέσθαι.... [83 D.

nam, ut supra jam memoravimus, corporis amore et studio in terris retinetur, materiaque concreta gravatur, et in aliud corpus mox recidit. Sic demum Plato totam disceptationem et priorem dialogi partem concludit :

Ἐκ δὲ τῆς τοιαύτης τροφῆς οὐδὲν δεινόν, μὴ φοβηθῇ, ταῦτά γ' ἐπιτηδεύσασα,... ὅπως μὴ διασπασθεῖσα ἐν τῇ ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος ὑπὸ τῶν ἀνέμων διαφυσηθεῖσα καὶ διαπτομένη οἴχηται καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ᾖ. [84 B.

quibus verbis philosophis solis immortalitatem polliceri videtur. Præterea hæc sententia cum argumento novissimo consentit, quod animam immortalem esse, prout Ideis similis, videlicet simplex et sibi constans est, probat, unde consequitur, animas sensibus deditas et corpori illigatas perinde ac corpus perituras esse. Neque fortuita in Platonis mente hæc sententia videtur, nam in *Convivio* quoque reperitur, ubi cum doctrina de immortalitate omnino congruit :

τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι, καὶ εἴπερ τῳ ἄλλῳ ἀνθρώπων ἀθανάτῳ καὶ ἐκείνῳ. [*Conv.* 212 A.

quæ verba nullum sensum haberent, si omnes hominum animæ æque immortales essent. Immortalitatem igitur, quam recentiores « condicionalem » vocant, Plato philosophis tantum promisisse videtur. Improbas vero et impias animas, in quibus irrationalis et mortalis pars, corpori affinis et connexa, prævalet, una cum corpore, cui nimis studuerunt, perire verisimile est.

Attamen hæc doctrina expressis Platonis verbis contraria est, quibus docuit, vitium animæ exitio non esse, et in *Republica* iterum probavit, animam immortalem esse, quippe quæ malo proprio, nedum alieno, occumbere nequeat. Jam in *Phædone* talia legimus :

Εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανοῦσι τοῦ τε σώματος ἅμ' ἀπηλλάχθαι καὶ τῆς αὑτῶν κακίας μετὰ τῆς ψυχῆς. [*Phæd.* 107 C.

quæ verba saltem monstrant, sententiam illam Platoni haud ignotam neque alienam fuisse. Argumentum vero *Reipublicæ*, quo immortalitas animæ confirmari videtur, nobis enucleandum est. Primo principium hoc Socrates statuit :

Τὸ ξύμφυτον ἄρα κακὸν ἑκάστου καὶ ἡ πονηρία ἕκαστον ἀπόλλυσιν. [*Resp.* 609 A.

unde jure consequatur, animam malo suo, hoc est vitio, perire. Quod Socrates negat, et animam ex illa regula excipit, quia animæ vel pessimæ vitia et scelera nequaquam perniciosa esse videntur [609 D]. Tum Socrates objectionem sibi proponit, et fingit injustitiam injustæ animæ exitialem esse [610 C]. At Glauco conjecturam istam acriter respuit :

Μὰ Δί’... οὐκ ἄρα πάνδεινον φανεῖται ἡ ἀδικία, εἰ θανάσιμον ἔσται τῷ λαμβάνοντι · ἀπαλλαγὴ γὰρ ἂν εἴη κακῶν. [610 D.

Eamdem itaque sententiam quam in *Phædone* [107 C] Plato profitetur : quæ tamen parum seria et valida videtur, quippe quæ consequentia tantum refellatur. Vulgaris enim et subrustica ista opinio est, quæ injustos pravitate sua ipsa non satis puniri putat, eosque ulcisci cupit, et ab iis etiam post mortem pœnas corporales et supplicia supervacanea exigit [1]. Sed et a Platonis moribus nimis abhorret, et morali ejus doctrinæ prorsus repugnat. Quid enim tota *Respublica* ipsa (post *Gorgiam*) demonstrat, nisi virtutem summum, immo solum bonum esse, nullum vero malum præter injustitiam esse? Ergo virtus idoneum et solum dignum sui ipsius præmium, vitium contra sufficiens sui ipsius pœna est.

Non autem ratiocinatio tantum, quamvis certissimis philosophiæ Platonicæ principiis fulta, verum ipsius auctoris testimonium, et quidem in eodem dialogo, quin etiam, in eodem loco, sententiam nostram confirmat. Nam post locum novissime citatum in *Republica* statim Socrates hæc dicit :

Ἀλλὰ... μήτε τοῦτο οἰώμεθα,... μήτε γε αὖ τῇ ἀληθεστάτῃ φύσει τοιοῦτον εἶναι ψυχήν, ὥστε πολλῆς ποικιλίας καὶ ἀνομοιότητός τε καὶ διαφορᾶς γέμειν αὐτὸ πρὸς αὐτό. [611 AB.

Non apertius auctor confiteri poterat, animæ notione parum perspicua et exacta, ne dicam falsa, se antea usum esse : ita ut his verbis totam demonstrationem, qua animam immortalem esse probare visus est, labefaciat. Sed gravissima sunt quæ sequuntur :

Οὐ ῥᾴδιον... ἀΐδιον εἶναι σύνθετόν τε ἐκ πολλῶν καὶ μὴ τῇ καλλίστῃ κεχρημένον συνθέσει, ὡς νῦν ἡμῖν ἐφάνη ἡ ψυχή. [611 B.

1. Magis humanam et clementem et vere liberalem sententiam desideratus Ludovicus Carrau pronuntiavit : « Je ne sais si ce serait véritablement un gain ; l'anéantissement, pour un être dont la perversité n'a pu être infinie, paraît une expiation suffisante. »

Quam sententiam per Glauci allegoriam Socrates explanat. Animam humanam ex pluribus partibus compositam esse jamjam novimus : quarum sola ratio immortalis mythice dicitur, cum revera æterna sit, quippe quam Ideæ constituant. Anima philosophica e ratione maxime constat, nam ceteræ ejus partes rationi consentiunt et obsequuntur; virtus igitur animæ harmonia est, quam « pulcherrimam compositionem » Plato vocat : immortalis propterea jure prædicatur. Prava autem anima, cujus ratio partibus mortalibus obscurata et pæne oppressa est (quæ sane turpis et deformis compositio est), vitiis, velut morbo, corrumpitur et dissolvitur : injustitia enim discordia et quasi dissensio (sicut in civitate) est, quod e tota *Republica* elucet [vide præsertim p. 444]. Quapropter, qui « veram et antiquam naturam », sive, ut dicunt nostri, « essentiam » animæ perspicere velit, is oculos convertat

εἰς τὴν φιλοσοφίαν αὐτῆς, [611 D.

ad rationem scilicet, qua Ideas amplectitur :

ὡς ξυγγενὴς οὖσα τῷ τε θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ τῷ ἀεὶ ὄντι.... [611 E.

[cf. *Phæd.* 79 CD], quod planissime ostendit, animam immortalem dici prout Ideas participat, vel potius rationem solam in anima singula immortalem, immo æternam esse.

Præterea omnes de præmiis et pœnis post mortem fabulæ cum universa Platonis doctrina, in *Republica* maxime exposita, aperte discrepant. Haud enim virtus propter præmia colenda, vitium contra propter pœnas fugiendum est, quæ homines aut dii extrinsecus conferunt, ut vitia castigent et virtutem remunerentur [612 C sqq.] : vulgari enim et stolidæ sapientiæ sententia ista convenit [612 B; cf. 364 sqq.; *Phæd.* 69 A, *Theæt.* 176]. Immortalitas ipsa condicionalis mythica quoque est, nam animam singulam post mortem durare postulat, cum contra ratio, quæ sola permanet, omnibus animis communis et universalis sit. Sed doctrina illa idem atque ceteri de vita futura mythi significat, bonos scilicet in hac præsenti vita æterna (id est intempo-

rali) felicitate frui, malos contra semetipsos morte damnare et mulctare, quippe qui materiam, hoc est non-ens, appetant et diligant. Non igitur modo omnis mali et vitii principium non-ens, sed etiam pœna est.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VI kal. apr. ann. MDCCCXCVI,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM

Columbariis. — Ex typis PAULI BRODARD. — 239-96.

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD